LUCII ANNAEI SENECAE

LIBER
QUARE BONIS VIRIS MULTA MALA ACCIDANT CUM SIT PROVIDENTIA

COMMENTARIO ET ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS.

PRAEMITTUNTUR TRIA LATINI LATINII EPIGRAMMATA.



Domenico Cunego in.

ROMAE MDCCCII.

TYPIS ACADEMICIS

SUPERIORUM FACULTATE.

FR. THOMAS MARIA SOLDATUS

ORDINIS PRAEDICATORUM

SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS SECRETARIUS ET ACADEMIAE RELIGIONIS CATHOLICAE CENSOR

EGREGIIS ACADEMIAE EJUSDEM CANDIDATIS

S. P. D.

CUM saepe numero in mortali hac vita bonis male eveniat, et improbis optime, hinc non modo impii Epicureae sectae propagatores Divinae Providentiae audacius negandae ansam temere arripiunt, sed Catholici etiam aliqui ita mentibus concidunt, ut cum Boethio libro primo de Consolatione Philosophiae Prosa quarta *posse contra innocentiam quae sceleratus quisque conceperit, inspectante Deo*, et mirentur, et querantur. Nimirum illi pro sua perversitate, isti pro doloris acerbitate non advertunt animum ad gravissimas, sapientissimasque causas, quibus rerum omnium moderator Deus justos plerumque in hac terra humiles, inopes, miseros esse, injustos contra honoratos, divites, felices fieri aut velit, aut permittat, ab Ethnicis quoque Philosophis animadversas, et notatas, in primis a Lucio Annaeo Seneca in libro,

quo propositam sibi a Lucilio quaestionem, *Quid ita, si Providentia Mundus ageretur, multa bonis viris acciderent mala*, explicavit. Cujus quidem libri lectionem cum plurimum conferre posse intelligerem, ut vos, EGREGII CANDIDATI, clarius perspiceretis, quod firmis rationum momentis in Dissertationibus, Dialogisque hac ipsa de re in Academia nostra recitatis confectum fuerat, levem prorsus, ac futilem esse conclusam ex bonorum aerumnis, ac malorum prosperitatibus argumentationem, in qua Divinae Providentiae hostes fortissimum perditae suae causae praesidium collocant, ipsum rursus denuo seorsum nitidissimis Academiae nostrae typis imprimendum curavi; atque, ut a vobis majori studio, et alacritate legeretur, uberioresque ex ejus lectione fructus perciperetis, libro praemisi tria Latini Latinii Viterbiensis viri non tam nobilitate generis, quam vitae probitate, ac eruditione clarissimi Epigrammata, nondum, quod equidem noverim, edita de maximis utilitatibus, quas operum Senecae nostri lectio affert, simulque de cautione in ipsis legendis adhibenda, et Commentarium a me Autumnalibus feriis anni superioris compositum, in quo breviter, et summatim indicatis his, quae ad libri scribendi causam,

argumentum, argumentique tractandi rationem, titulum, editiones, potissimum Romanam anni MDCXXV., versionesque in varias linguas spectant, proponuntur, et pro Commentarii modo refelluntur dogmata a Christiana Religione, rectaque ratione prorsus aliena, ex Stoicorum disciplina a Seneca in hoc libro tradita, et quae in rectam, pravamque sententiam accipi possunt, declarantur; insana, et pugnantia Petri Baylii, Scepticorum aetatis suae principis, de argumento a secundis improborum rebus petito cogitata refutantur; ac rationes, quibus malos plerosque in hac vita salvos, incolumes, opulentos, potentes, et in speciem beatos Deus sinit esse, redduntur; ac libri ipsius textus, quem ex editionibus Antuerpiensi MDCLII. et Amstaelodamensi 1672. exhibeo, praeter paucas meas, subjeci adnotationes ejusdem libri Interpretum, quorum explanationes in editione Genevensi omnium Senecae Operum anni MDCXXVIII. extant, quas vobis usui fore judicavi, partim integras, partim a me contractas, subscriptis cognominibus illorum, a quibus singulae prodierunt, indicatisque paginis, ac numeris sub quibus in editione mox commemorata leguntur. Etenim, ne omnes darem, atque ut illarum, quas dabam, aliquas

contraherem, multae me causae moverunt, duae praesertim, altera, ne voluminis moles nimis excresceret, altera, ne animadversionibus aut minimi momenti, aut quae eodem reciderant, sive minus accuratae viderentur, Lectores onerarem. Quod si editio haec ad vos in Catholica doctrina erudiendos, confirmandosque aliquid, Deo juvante, contulerit, amplissimum me laboris mei fructum esse consequutum arbitrabor. Valete.

NOS FR. PIUS JOSEPH GADDI MAGISTER,

ac Universi Ordinis FF. Praedicatorum humilis Vicarius Generalis et servus.

HArum serie, nostrique auctoritate Officii, quantum in Nobis est, facultatem facimus Eruditissimo Sacrae Indicis Congregationis Secretario P. Mag. Fr. Thomae Mariae Soldati Romanae Provinciae nostrae Exprovinciali etc. etc. Typis edendi Commentarium suum cum adnotationibus in L. Annaei Senecae librum, qui inscribitur: *Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia;* quod nempe scriptum mandato nostro revisum praelo dignissimum judicatur. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Datum Romae apud S. Mariam super Minervam Calendis Decemb. MDCCCI.

Fr. Pius Joseph Gaddi
Mag. Vicarius Generalis Ord.

Reg. Pag. 38.
F. Pius Antonius Molineri
Mag. et Socius.

APPROBATIO.

AUreum L. Annaei Senecae Cordubensis libellum, qui inscribitur: *Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia*, una cum adjecto Commentario, atque adnotationibus, quibus a Doctissimo Viro P. Mag. Thoma M. Soldati O. P. Sacrae Indicis Congregationis a Secretis egregie non modo illustratur; verum etiam ex purissimis Catholicae veritatis fontibus a perniciosis Stoicae philosophiae, cui Seneca addictus erat, erroribus repurgatus exhibetur, accurate, libenterque évolvi, ejusque edendi consilium summopere approbo, et commendo. Magno enim adiumento futurus mihi videtur probis viris ad res hujus vitae adversas aequo animo, ac volenti perferendas. Testor itaque praeclarissimi P. Magistri S. Palatii jussis obtemperans Opus istud nihil non solum continere, quod obstet, sed insuper omni encomio prosequendum, optandumque esse, ut quam primum in lucem proferatur. In quorum fidem etc.

Ex Aedibus S. Romualdi a. d. X. Kal. Januarii An. Aer. Vulg. MDCCCI.

D. Henricus Abbas Sanclementius Ord. Camald.
S. Examinis Episcoporum Congregationis a Secretis.

APPROBATIO.

Volumen M. S., quod Cl. Viri P. Thomae Soldati, Sacrae Indicis Congregationis a Secretis, Commentarium, et Adnotationes in Lucii Annaei Senecae Librum *Quare* etc. continet, jubente Rm̃o Patre S. P. A. Magistro, quum non minore voluptate, quam diligentia perlegerim, opus facile agnovi sapientissimi Theologi, ejusdemque Philosophi, ac Philologi longe eruditissimi. In eo autem tantum abest, ut quidquam offenderim vel Catholicae Religioni, vel bonis moribus minus consentaneum, ut potius eo spectare, id valere omnia deprehenderim, ut tum a nefariis, absurdisque recentioris hujus insanientis Sapientiae commentis, tum potissimum a vitiis Stoicae sectae, in primisque arrogantia, suique confidentia, lectoribus maxime adolescentibus praecaveatur. Tali modo memoratum Senecae opusculum (praeclarum sane, ut hominis ethnici) illustratum, ac veluti medica tanti viri manu sanatum, quum nemini nocere, plurimos juvare possit, et ad necessarium adeo Divinae Providentiae dogma vindicandum, et ad aerumnas, doloresque non solum forti, sed, quod unice interest, christiano etiam animo perferendos, e re literaria, et Christiana fore censeo, si quam citissime in manus hominum deveniat. In quorum fidem etc.

Ex aedibus SS. Blasii et Caroli ad Catinarios VI. Kal. Jan. an. MDCCCI.

D. Franciscus Fontana Proc. Gen. Cler. Reg. S. Pauli, Consultor S. O. et SS. Rituum, et Censor Academiae Religionis Catholicae.

DIE XXV. MENSE JUNIO ANNO 1802.

NOS Censores Academiae Religionis Catholicae, ex praescripto Legis XXVII., Libro Reveren. P. Thomae Mariae Soldati Ord. Praed. Sacr. Ind. Congr. Secr., qui inscribitur „ Lucii Annaei Senecae Liber: *Quare bonis* „ *viris multa mala accidant cum sit Providentia;* Com„ mentario, et Adnotationibus illustratus „ expendendo delegati, quum illum attente perlegerimus, dignum censemus, in quo edendo Cl. Auctor se Academicum Religionis Catholicae possit appellare.

Hieronymus Napulioni majoris praesidentiae Abbreviator, Fidei Promotor, S. Poenitentiariae Canonista, Sacrae Inquisitionis Consultor, et promovendorum ad Episcopatum Examinator. Faustinus Arevalo.	Censores Delegati

INspecta relatione Censorum Academiae Religionis Catholicae potestatem facimus Cl. Auctori utendi nomine Academici in editione praedicti Libri.

Dominicus Coppola Archiepiscopus Myrae Praeses.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Benedictus Fenaja Congregationis Missionis Archiep. Philippen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Th. Vincentius Pani O. P. Sacri Palatii Apostolici Magister.

LATINI (1) LATINII VITERBIENSIS

Ad Amicum cui dono misit Senecae (2) Opera cum M. Ant. (3) Mureti Adnotationib. 1586. iiij. Id. Februar.

Hinc quamcumque tuo cupies ornare labore
Materiam, studiove, potes ceu divite vena
Sumere securus mutuo: densissima namque
Silva patet rerum semper foecunda; parensque
Sponte suos offert studiosis prodiga foetus.
Tune parva tui contemnas dona sodalis,
Maxima namque feres ex ipsis commoda: quae te
Commendent doctis, et castis (4) moribus ornent.

a

(1) Latinus Latinius Viterbiensis, vir sacra, profanaque eruditione clarissimus, et Romanis Pontificibus, S. R. E. Cardinalibus, ac litteratis omnibus aetatis suae viris acceptissimus obiit Romae Anno MDXCIII. aetatis LXXX. Vide ejus Vitam a Dominico Macro ex variis illius epistolis concinnatam, cum clarorum virorum de eodem Latinio testimoniis praemissam volumini I. Epistolarum, Conjecturarum, et Observationum Latinii Romae typis Tinassii MDCXIX. quam Vitam Carolus Dominici frater in compendium redactam praefixit Bibliothecae sacrae, et profanae ejusdem Latinii Romae sumptibus Pontii Bernardon MDCLXXVII.

(2) Nimirum Lucii Annaei Senecae Philosophi

(3) Marci Antonii Mureti, de quo in adnot. 1 ad §. IV. Commentarii. De editione autem operum Senecae ab illo adornata vide adnot. 14. ad haec Epigrammata.

(4) Vide adnotationes proximas, et adnot. 6. ad §. VI et 2. ad §. VIII. Commentarii, ac testimonia clarorum virorum de Seneca praemissa ejusdem operibus, quibus testimoniis addi potest illud Boethii de Consolatione Philosophiae lib. I. Prosa III. edit. Patavinae CIƆIƆCCXXI. pag. 8. ubi Philosophia inducitur dicens: „ Quod si „ nec Anaxagorae fugam, nec Socratis venenum, nec Zenonis „ tormenta, quoniam sunt peregrina, novisti, at Canios, at „ Senecas, at Soranos, quorum „ nec pervetusta, nec incelebris „ memoria est, scire potuisti. „ Quos nihil aliud in cladem detraxit, nisi quod nostris moribus instituti, studiis improborum dissimillimi videbantur „.

Si verses animo munus, manibusque frequenter;
Quod, moneo, ut prudens facias, cupidusque decori.

ALIUD.

Qui morum studio (5) caperis, quos docta vetustas
Approbat, et merito semper veneratur honore;
Vincula, qui vitiis (6) animi, qui dura tyrannis
Addere fraena voles affectibus, hic tibi semper
Versandus manibus liber est; meditandaque saepe,
Ac repetenda animo, quae sunt perlecta frequenter
Ne te transversum (7) rapiat, vel blanda voluptas;

---

(5) Nicolaus Faber in Praefat. in libros L. Senecae praefixa Editioni Parisiensi MDCXIX „ Inter tot, „ *inquit*, tantosque viros, qui in „ omni scientiarum disciplinarum- „ que genere excelluerunt, quo- „ rum quidem scripta ad nos per- „ venerunt, nescio an ullus ex- „ titerit, cujus e re nostra totius- „ que generis humani magis fue- „ rit, monumenta ingenii salva „ sanaque perdurasse, quam L. An- „ naei Senecae. Nam cum inter „ omnes disciplinas philosophia „ primum sibi locum jure vindi- „ cet: ea autem vera et germa- „ na philosophia sit, quae nos „ quam optimos, et quantum hu- „ mana patitur imbecillitas, bea- „ tissimae illius naturae, cujus „ ipsa munus est, simillimos effi- „ cit: in tanto vero sectarum nu- „ mero, nulla sit, quae id am- „ plius luculentiusque praestet, „ quaeque ad nostrum dogma pro- „ pius accedat Stoicorum Schola; „ nos ea scripta, quae tam prae- „ claram et egregiam doctrinam „ continent, tanto pluris aestima- „ re par est, quanto majorem et „ uberiorem fructum ab iis, quam „ ab ullis aliis percipere, aut spe- „ rare possumus. „

(6) Lactantius Divinarum Institutionum lib. v. cap. IX. tom. I. Operum edit. Parisiensis MDCCXLVIII. pag. 384. „ Qui volent scire omnia, „ Senecae libros in manus sumant, „ qui morum vitiorumque publi- „ corum et descriptor verissimus, „ et accusator acerrimus fuit. „

(7) Thomas de Juges in Epistola ad Lectorem praemissa editioni Operum Senecae typis Alexandri Perneti MDCXXVIII „ De cae- „ tero, *inquit*, ut in hortis Epi- „ curi inscriptio haec legebatur. „ *Hospes hic bene manebis*: Ita „ (ni fallor) in hisce libris Sene- „ cae bene accipieris, non ea ta- „ men causa quam Epicurus inscri- „ ptioni subjecit. *Quia hic sum-* „ *mum bonum voluptas est*, sed „ quia animi bonum animus hic „ inveniet. Hinc scilicet, quod „ cum omnis conditio volubilis „ versatilisque sit, nihilque in to- „ tum diem certi sit, sic ut

„ Quem dies vidit veniens superbum,
„ Hunc dies vidit fugiens jacentem.

„ ut alter Seneca Tragicus dixit, „ Animus ad periculorum patien- „ tiam instruetur, et quod prae- „ cipuum in rebus humanis est, di- „ scet laeto animo adversa tolera- „ re, certus omnia ex Dei de- „ creto decurrere, ut ipsius Se- „ necae verbis utar . . . Hi in- „ quam libri omnes, bene perce- „ pti numeris omnibus absolutum „ et quadratum virum efficient. „ Hoc proinde inter utrumque Se-

Praecipitemve ferat cumulandi dira cupido;
Ambitiove, iraeve furor: pestisve livoris
Tabifici carpat: tumidosque aut prospera tollant
Dejiciantve animos, frangantque adversa vicissim.
Denique ne trepidum feriant discrimina mortis,
Propositumve rogum paveas, ferrumve, crucemve,
Seneca praestabit dives, sapiensque (8) magister.

ALIUD.

At tibi si aeternae potior stat cura salutis,
Et breviore via tendis conscendere caelum,
Divinae semper meditare (9) oracula legis;

a 2

„ necam discrimen, quod qui M. „ Annaei Senecae Rhetoris scri-„ pta perlegerit, lingua melior „ evadet: Sed qui L. Annaei Sene-„ cae Philosophi penetralia per-„ scrutatus fuerit, animo meliore „ et tranquilliore fruetur. Et quam-„ vis tubas, lituos, classicum et „ castrenses crepitus armorum au-„ diat, et aratrum vetustis urbi-„ bus inductum videat Biantis vel „ Stilponis ad exemplum compo-„ situs aequiore et tranquilliore „ animo feret fortuitos casus, si-„ ve adversam fortunam. „

(8) De Lucio Annaeo Seneca et libris ab eo perscriptis, praeter ejusdem Operum editores, potissimum consuli possunt Nicolaus Antonius Bibliothecae veteris Hispanae lib. I. cap. VII. tom. I. edit. Romanae MDCXCVI. pag. 22. seqq. Jo. Albertus Fabricius Bibliothecae Latinae lib. II. cap. IX. num. V. seqq. edit. Hamburg. MDCCXII. pag. 357. seqq., et in supplem. Bibliothecae Latinae Hamburgi eodem Anno pag. 150. seqq., et in vol. altero Partem priorem supplementi plurimum locupletati complex. Hamburgi MDCCXXI. pag. 496. seqq., Jacobus Bruckerus Historiae Criticae Philosophicae ab initiis Monarchiae Romanae ad repurgatas usque literas Periodi secundae part. I. lib. I. cap. II. sect. VII. §. VI. seqq. tom. II. Lipsiae MDCCXLII. pag. 544. seqq., Hieronymus Tiraboschi Storia della Letteratura Italiana tom. II. Lib. I. cap. V. §. IX. seqq., Xaverius Lampillas Saggio Storico-Apologetico della Letteratura Spagnuola part. I. tom. I. Januae MDCCLXXVIII., qui Senecae vindicias adversus Tiraboschium agit, et Appianus Buonafede della Istoria e della indole di ogni Filosofia di Agatopisto Cromaziano cap. IX, vol. V. Lucae MDCCLXXI. pag. 90. seqq. In Catalogo Bibliothecae Bunavianae tom. I. part. I. lib. III. cap. II. Sectione II. § XI. edit. Lipsiae CIↃIↃCCL. pag. 136. seq. N. I. recensentur L. Annaei Senecae Philosophi opera, num. II. scripta singula, num. III. scripta Senecam illustrantia.

(9) Ut in ipsis Sacris litteris praescribitur. Nam Exodi Cap. XIII. ver. 9. dicitur. „ Lex Do-„ mini semper sit in ore tuo. „ Deuteronomii Cap. VI. ver. 6. et seqq. „ Eruntque verba haec, quae „ ego praecipio tibi hodie, in „ corde tuo: et narrabis ea filiis „ tuis, et meditaberis in eis se-„ dens in domo tua, et ambu-„ lans in itinere, dormiens atque „ consurgens. Et ligabis ea qua-„ si signum in manu tua, erunt-

Et quae caelesti correpti numine Vates
Jam pridem cecinere pii; et quae legifer ipse
Christus in humanis (10) docuit: quaeque inde per orbem
Praecones sparsere sui praecepta magistri;
Et servanda simul concors (11) Ecclesia sanxit.
Haec te si serves poterunt praestare beatum.
Seneca multa licet doceat laudanda; frequenter
Miscuit ille tamen letalia (12) multa vicissim,

„ que et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostiis domus tuae... Cave diligenter ne obliviscaris Domini „ Et Josue cap. I. ver. 8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, et facias omnia quae scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam et intelliges eam. „

(10) De praestantia moralis doctrinae, quae veteris, novique Testamenti libris continetur, accurate agit, atque ex ea Christianam Religionem divinitus institutam esse demonstrat cl. Vir Antoninus Valsecchius Ord. Praed. Operis inscripti: *Dei Fondamenti della Religione e dei Fonti dell' empietà* lib. II. cap. IX. seqq. vol. II. edit. Patavinae MDCCLXV. pag. 90. seqq.

(11) Cujus definitionibus, in his quae non solum ad fidei, sed etiam ad morum doctrinam, spectant, ab omnibus, qui aeternam salutem consequi volunt, omnino standum est, ut constat ex illis Christi Domini verbis apud S. Matthaeum cap. XVIII. ver 17. „Si... „ Ecclesiam non audierit, sit tibi „ sicut ethnicus et publicanus. „

(12) Quod de Seneca a Latinio, hoc de omnibus ethnicis Philosophis, qui moralis doctrinae praecepta tradiderunt, a nobis verissime dicitur. Quotus enim quisque illorum fuit, qui in maximos errores non inciderit? Consulatur Lactantius Divinarum Institutionum lib. III. qui de falsa Sapientia Philosophorum inscribitur maxime cap. VIII. et seqq. tom. I. pag. 205. seqq. Quid Protestantes, qui in jure naturae, hominumque officiis explicandis humana tantum ratione duce uti voluerunt, quam saepe, ac turpiter desipuerunt? Vide Joannis Francisci Finetti opus, cui titulus de Principiis Juris Naturae et Gentium adversus Hobbesium, Pufendorfium, Thomasium, Wolfium et alios libri XII. Venetiis MDCCLXIV. Legenda quoque est Danielis Concinae Ord. Praed. Dissertatio Prolegomena in libros tres de Naturae et Gentium jure deque positivo, divino, et humano Theologiae Christianae tom. VI. adversus Pufend. Barbeyr. Thomas. aliosque Novatores, ex cujus Cap. XIII. num. X. edit. MDCCL. pag. 92. et seq. liceat mihi monitum ad Saperdas quosdam Italos Grotianos, Pufendorfianos, Wolfianosque etsi longius producere. Longitudo enim utilitate pensabitur. Est autem hujusmodi. „ „ Colligant heinc Italiae nostrae „ saperdae nonnulli, quantum a „ via hactenus aberrarunt recta, „ dum in addiscenda juris naturalis scientia, omissis limpidissimis fontibus, lutulentissimas „ Protestantium lacunas adierunt. „ Plus ex una hac de re S. Thomae „ quaestione doctrinae, quam ex „ integris Pufendorfii, Heinnecii „ operibus indepti fuissent. Ex alia

Ignarus veri, atque superni luminis (13) expers.

„ parte praejudiciis, et erroribus „ illorum mentes inquinatae non „ essent, neque in religionis fervore adeo tepescerent. Sensim „ sine sensu istorum librorum lectio quodam erga religionem „ tepore animos afficit, contemptibilem auctoritatem supremam reddit, et infirmas humanae mentis vires plus justo „ exaltat. Dicteria illa, scommata, velificationes, derisiones Papatus, Papistarum &c. „ quae in istorum libris passim „ occurrunt, vestigia in lectorum „ mentibus imprimunt queis animus a recta deducitur via, „ et heinc paulatim languescit „ fides, caritas extinguitur, et „ tandem aliquando impietas succedit. Atque illud omnium malorum maximum est, quod scituli nostri, catholicae doctrinae „ armis denudati, et antequam verae doctrinae lumine mens illustrata sit, haereticorum libros revolvunt, satyras, paroemias, censuras, scommata memoriter addiscunt, et errores ignoranter „ epotant. Ipse audivi plurimos, „ cum de foenore in Italia nostra „ bellum arderet litterarium, inclamantes, divinas Scripturas ad rectae rationis tribunal exigendas esse, errasse Patres, desipuisse Scholasticos, signatum „ esse super nostrarum animarum „ mentes rationis lumen; nihil „ jussisse Christum quod non sit „ lege naturali praeceptum. Heinc „ colligebant, moderatam usuram „ haud esse prohibitam: quae gravissima praejudicia, et iniquas „ praeceptiones e transalpinorum „ haereticorum lectione didicerant. Pudere autem illos deberet ab hostibus sanandae infirmitatis pharmaca, et a catholicae religionis derisoribus „ inveniendae veritatis lumen emendicare. Nunquam ergo haereticorum libri legendi? Legantur facultate habita, non „ repugno. Sed prius christianae „ doctrinae fundamenta altius „ praejaciantur, prius catholici „ Doctores consulantur; et postea haeretici legantur, tamquam hostes, qui insigni vafritie fucum lectoribus facere „ student. Verum, nisi illos refellendi occasio adsit, si illos „ penitus neglexeris in religionis „ controversiis, satius tibi erit. „ Quoniam vix aut controversiam „ philosophicam, aut punctum „ eruditionis tractare infensissimi „ hi hostes consuescunt, quin „ religionis caussam, et Papatum „ eidem immisceant, et imposturas calumniasque fide mala excogitatas interserant, ac Catholicorum privatorum abusus, „ vitia, et corruptelas in ipsam „ Romanam Ecclesiam regerant. „ Porro imperiti lectores, haud „ suspicantes tantam in filiis ancillarum fraudem, calumnias „ pro veritatibus deglutiunt, illorumque fucis, et artificiis non „ raro capiuntur. Tuta ergo res „ erit nullum cum istis habere „ commercium „

(13) Desiderius Erasmus in judicio de L Annaeo Seneca praemisso Operibus Senecae in edit. Paris. MDCXIX, et aliis quas commemorare non est opus. „ Illis, „ *inquit*, non assentior, qui certant Senecam facere Christianum Nicodemo similem .... „ Certe cum non alius de contemnenda morte scripserit unquam, vel saepius, vel fortius, „ qui convenit adeo fuisse meticulosum, ut ne in scriptis quidem extrema senecta proditis „ usquam subindicarit suam professionem: tam cautum, ut „ nihil suboleverit Neroni, qui

Quare age Mureti (14) prudenti singula libra
Protinus expende, admonitusque nocentia vita.

„ quum illum decrevisset e medio tollere, et causas commentitias praetexeret, Christianismi crimen non objecit? Sed quorsum attinet hoc commentum? An ut libros illius Christianis hominibus commendent? Equidem arbitror magis in rem esse lectoris, ut Senecae libros legat, velut hominis ignari nostrae religionis: Etenim si legas illum ut paganum, scripsit Christiane: si ut Christianum scripsit paganice. Quum autem in illo sint plurima quae segnitiem nostram possint ad virtutis studium accendere, habebunt eadem acriores aculeos, si cogitemus ab ethnico profecta .... Itaque quod ad mores attinet, majore fructu legetur Seneca, si legatur, ut quemadmodum fuit, paganus. Nam et Christiane dicta vehementius afficient: et secus dicta minus laedent. „ Confer Joannem Albertum Fabricium Bibliothecae Latinae tom. I. pag. 367. seq. adnot. t. et tom. II. pag. 513. seq.

(14) Muretus in suis ad Senecae opera adnotationibus, quae in ipsis cum Christiana doctrina pugnantia occurrunt indicare non praetermisit, quod pariter Justus Lipsius cum in Commentariis, quibus Senecae opera illustravit, tum in libris Manuductionis ad Stoicam Philosophiam, et Physiologiae Stoicorum praestitit. Editio autem Operum Senecae cum Mureti adnotationibus in publicam lucem prodiit hoc titulo: „ L. Annaeus Seneca a M. Antonio Mureto correctus, et notis illustratus, ad Matthaeum Contarellum Tit. S. Stephani in Monte Caelio S. R. E. Presb. Cardinalem cum Privilegio: Superiorum permissu Romae apud Bartholomaeum Grassium CIↃ.IↃ.XXC V. „ De qua quidem editione haec scribit Jo. Albertus Fabricius Bibliothecae Latinae volumine altero edit. Hamburgi MDCCXXI. pag. 505 seq. „ Romae typis Barthol. Gorassii (corrige Grassii) Anno 1585. fol. cum notis M. Antonii Mureti, et indice Julii Roscii Hortini, curante post Mureti, eodem Anno prid. Non. Jun defuncti obitum Francisco Bencio, S. I. Quamquam vero praeclarae sunt Mureti in Senecam observationes, tamen non ab re illi vitio vertit Henricus Stephanus proodopoeja ad Senecae lectionem edita An. 1586. 8. quod Erasmi operam Senecae impensam contemnit, et Pintiani vix bis meminit, cum utriusque saepe emendationibus usus fuerit. Vide interim quae pro Mureto reponit Rich. Simon Bibl. selectae c. 23. Ista Senecae editio manu Josephi Scaligeri notata extat in Bibl. Academiae Leidensis. „ Hujus porro editionis in Bibliotheca Capituli Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Viterbiensis, cui Latinius moriens Bibliothecam domesticam suam legavit, ut in ejus vita Dominicus Macrus testatur, exemplum exstat, in quo Latinii ipsius manu scripta sunt epigrammata tria, quae nunc primum edimus cum inscriptione ipsis praemissa, et indicatione anni et diei quibus volumen operum Senecae ejusdem editionis dono misit ad amicum, qui omnino quis fuerit ignoramus.

DE LUCII ANNAEI SENECAE LIBRO.

Quare bonis viris multa mala accidant cum sit Providentia.

COMMENTARIUS.

§. I. CUM Lucilius (1), Siciliae Procurator, ex Epicuri schola vir ingenuis, liberoque homine dignis artibus imbutus, Lucium Annaeum Senecam omnium Stoicorum (2) acutissimum, a quo unice diligebatur, ponderosisque epistolis ad moralis Philosophiae studium, atque exercitationem (3) inflammabatur, rogasset, cur male bonis esset, cum Dei providentia mundus gubernaretur, Seneca ejus dubitationi, aut potius (4) querelae

(1) De hoc Lucilio legendi Justus Lipsius in Monito Senecae epistolis praemisso Operum L. Annaei Senecae editionis Antuerpiensis ex Officina Plantiniana Balthasaris Moreti MDCLII (qua editione in referendis, indicandisve Senecae testimoniis utar, nisi aliam indicavero) pag. 285 seq., et Jo. Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina edit Hamburgensis MDCCXII lib. II cap. 9. vol. 1. pag 360. adn. h.

(2) Lactantius Divinarum Institutionum lib. II. cap. IX. tom. 1. Operum edit. Parisien. MDCCXLVIII. pag. 147. „ Melius .... Seneca omnium Stoicorum acutissimus. „ Vide alia ejusdem Lactantii testimonia, in quibus Seneca commendatur, edit. cit. Operum Senecae pag. XXXI. seq.

(3) Harum epistolarum CXXIV. habemus cum in aliis editionibus Operum Senecae, tum in laudata editione Lipsii, qui pag. 386. monet, eas dividi a quibusdam in libros (uti reipsa dividuntur in editionibus Veneta Anni 1492., et aliis antiquis Operum Senecae editionibus, sicut et in Genevensi 1628.) et sciptos codices dividere, *sed diverse*. Confer Mureti animadversionem de Epistolarum Senecae in libros divisione editionis Operum Senecae Romae 1585. pag. 194, et Jo. Albertum Fabricium Bibliothecae vol. cit pag. 360 et seq. num. 13., et vol. 2. pag. 501. seq., et quae de Epistolarum Senecae ad Lucilium numero, ac varia in libros divisione in Codicibus admonet cl. Angelus Maria Bandinius in Catalogo codicum Latinorum Bibliothecae Mediceae Laurentianae recensens codices, quibus Epistolae ipsae continentur, locis indicatis in Indice I. Generali in quinque Latinorum, et Italicorum Codicum volumina volum. V. col. 665.

(4) Seneca cap. I. „ Suo, *inquit*, ista „ tempori reserventur: eo quidem „ magis, quod tu non dubitas de „ Providentia, sed quereris. „

cumulate satisfecit singulari libro, qui ad nos usque pervenit, mutilus tamen extrema parte, in qua Seneca receperat se Lucilio persuasurum, ne unquam boni viri misereretur, quandoquidem is dici quidem miser, esse autem nullo modo posset. Etenim Seneca, ubi primo libri hujus capite propositam sibi a Lucilio quaestionem indicavit, atque hanc rerum, quae sub sensus cadunt, universitatem, non ex fortuito corpusculorum individuorum concursu coaluisse, nec temere consistere, verum a praestantissimae naturae numine effectam, ejusque vi, et consilio sustineri, atque administrari quasi praeteriens ostendit, tum capite secundo nihil mali accidere bono viro posse confirmavit, reliquis capitibus, quatuor potissimum, ut Dionysius Petavius (5) Theologorum aetatis suae eruditissimus animadvertit, argumenta affert, quibus ratio redditur, quare Deus optimos etiam, sibique carissimos viros adversis rebus premi, conficique patiatur.

Ex quibus eruitur non omnia Epicuri decreta Lucilio probata. Nam quis ab illo divinam providentiam omnino sublatam ignorat? Vide Marcum Tullium Ciceronem de natura Deorum lib. I. cap. VIII. Tom. II. operum ejusdem edit. Patavinae typis Seminarii MDCCLIII. pag 514. apud quem Vellejus Epicureus providentiam irridet, et cap. XX. pag. 529. negat in ipso Mundo Deum inesse „ qui regat, „ qui gubernet, qui cursus astro„ rum, mutationes temporum, „ rerum vicissitudines, ordines„ que conservet, terras, et ma„ ria contemplans hominum com„ moda vitasque tueatur „

(5) Dionysius Petavius Theologicorum Dogmatum de Deo Deique proprietatibus lib. VIII. cap. V. num. XI. tom. I. edit. Venetae MDCCLVIII. pag. 379. „ Scripsit „ hac de re librum Seneca, cum „ inscriptione hac: *Quare bonis* „ *viris mala accidant, cum sit* „ *Providentia*. Quo in libro tri„ ta illa, et omnium fere com„ mentariis, ac disputationibus „ tractata respondet. Quid au„ tem nisi vulgare potest, et no„ tum omnibus dici de ea re, „ quae Sole ipso clarius lucet „ praesertim iis, quos Christianae „ veritatis splendor afflavit? Er„ go ita disputat, summamque „ rationum conficit sic. Ista quae „ videntur mala, *primum pro i*„ *psis esse*; hoc est iis prodesse „ potius quam nocere. *Deinde* „ *pro universis*, quod exemplis „ ceteros adjuvant. *Post haec* „ *volentibus accidere, ac dignos* „ *malo esse si nolint*. Quartum „ addit, *eadem lege bonis eveni*„ *re, qua boni sunt*. Haec prae„ cipua quatuor argumentorum „ capita, quae toto deinde libro „ illustribus et sententiis, et „ exemplis asserit. Sed ab nostris „ plenius, ac nervosius ista tra„ ctantur, quibus et ad disputan„ dum rationum praesidia firmio„ ra sunt, et ad persuadendum „ vis major exemplorum, ac te„ stimoniorum suppetit. „

§. II. Horum argumentorum primum (1) ducitur ex commodis, quae bonis ipsis acerbi, ac miseri eventus afferunt. Cum enim in hos incidunt boni, cujus generis sint, quae vulgi opinione censentur mala, re experti agnoscunt, iisque tanquam medicinis curantur, atque ad atrociora quaeque forti animo subeunda indurescunt, et quid valeat illorum virtus declaratur. Alterum (2) eruitur ex utilitatibus, quas mortalibus universis calamitosa bonorum vita praebet. Homines namque illam intuentes, et contemplantes neque (3) pecunias, neque tecta magnifica, neque opes, neque honores, neque imperia, neque voluptates in rebus bonis, nec paupertatem, obscuritatem, aegritudines, dolores, supplicia, mortemque ipsam in malis esse numerandas liquidius judicant, atque ad illa despicienda, haec, si ipsis humanitus contingant, animo aequissimo perferenda incitantur. Tertium (4) inde sumitur quod externa quaecumque, et ad corpus pertinentia incommoda bonis viris non modo non repugnantibus, sed ne renuentibus quidem eveniunt. Etenim cum externa, quae putantur, commoda etiam improbi (5) habeant, et obsint plerumque probis, boni adversa, quam secunda conditione uti malunt. Quartum a (6) lege, qua boni sunt, depromitur. Neque enim bonus esse quisquam potest, quin virtutem colat, neque virtutem colere, quin saepe, ne officio desit, in (7) maximas calamitates incurrat.

---

(1) Cap. III.

(2) Cap. V.

(3) Cicero Paradox. I. num. I. tom. III. Operum pag. 512. ,, ,, Nunquam mehercule ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti sunt, voluptates in bonis rebus aut experendis esse duxi, quippe cum viderem, rebus his circumfluentibus ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim expletur unquam, nec satiatur cupiditatis sitis: neque solum ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu.,,

(4) Seneca cap. cit.

(5) Cicero Paradox. cit. pag. 512. seq.,, Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia vidèmus, ut etiam improbi habeant, et obsint probis.,,

(6) Seneca ibid.

(7) Huc spectat illud S. Pauli in epistola II. ad Timotheum cap.

§. III. Quatuor his argumentis a Petavio commemoratis Seneca quintum interserit petitum a (1) fato, quo nomine quid Stoici intellexerint, S. Augustinus libro quinto de Civitate Dei capite octavo (2) exponit, ejusdemque Senecae testimonio confirmat. Sic autem habet: „ Qui... „ non astrorum constitutionem, sicuti est cum quidque „ concipitur, vel nascitur, vel inchoatur, sed omnium „ connexionem seriemque caussarum, qua fit omne quod „ fit fati nomine appellant; non multum cum eis de verbi „ controversia laborandum atque certandum est: quan„ do quidem ipsum caussarum ordinem et quamdam „ connexionem Dei summi tribuunt voluntati et potesta„ ti, qui optime et veracissime creditur et cuncta scire „ ante quam fiant, et nihil inordinatum relinquere; a quo „ sunt omnes potestates; quamvis ab illo non sint om-

III. vers. 10. „ Omnes qui pie „ volunt vivere in Christo Jesu „ persecutionem patientur: „ quae exponens S Thomas Aquinas lect. II. in illud caput Commentarior. in omnes D. Pauli epistolas edit. Lugdunensis MDCLXXXIX. pag. 615. seq. inquit. „ Pie su„ mitur dupliciter: Quandoque „ pro virtute pietatis ad cultum „ divinum: supra eodem cap. „ *Habentes speciem pietatis*. „ Quandoque pro misericordia ad „ proximum: 1. Timoth. 4 *Pie„ tas ad omnia valet*: Sic ergo „ dicit: *Omnes qui pie volunt „ vivere in Christo &c.* id est, „ volunt observare cultum reli„ gionis Christianae: Tit. 2. *So„ brie, et juste, et pie vivamus „ in hoc saeculo, &c.* Et tales „ *persecutionem patientur*; et ma„ xime in primitiva Ecclesia, „ quando Christus undique im„ pugnabatur a Judaeis et Gen„ tibus: Et ideo Joann. 16. *Ve„ nit hora ut omnis qui interfi„ cit vos, arbitretur obsequium „ se praestare Deo*: Matt. 24. „ *Eritis odio omnibus gentibus „ propter nomen meum*: item „ *Omnes qui pie volunt &c.* id „ est, volunt per fidem Christi „ servare misericordiam ad pro„ ximum, necesse est eos perse„ cutionem pati; etsi non ab extra, „ tamen ab intus, quando scilicet „ compatiuntur defectibus proxi„ morum, quorum culpas et „ poenalitates vident: 2. Corinth. „ 11. *Quis scandalizatur, et ego „ non uror? &c.* 2. Petr 2. *Ha„ bitans apud eos qui de die in „ diem animam justam iniquis „ operibus cruciabant*: Psalm. „ 118. *Vidi praevaricantes et „ tabescebam &c.* Item sunt aliae „ persecutiones, quae Sanctis „ omnibus deesse non possunt; „ scilicet carnis, mundi, et dae„ monis: Quia ut habetur Galat. „ 5. *Caro concupiscit adversus „ spiritum*: Rom 7. *Infelix ego „ homo, quis me liberabit de cor„ pore mortis hujus?* Psalm. 33. „ *Multae tribulationes justorum.*„

(1) Seneca Cap. V.

(2) S. Augustinus De Civitate Dei lib. V. Cap. VIII. tom. VII. Operum edit. Venetae Jo. Baptistae Albrizzi Hieron. Fil. MDCCXXXII. col. 120. seq.

„ nium voluntates. Ipsam itaque praecipue Dei summi „ voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per cuncta „ porrigitur, eos appellare fatum sic probatur. Annaei „ Senecae (3) sunt, nisi fallor, hi versus:

„ Duc summe pater, altique dominator poli,
„ Quocumque placuit, nulla parendi mora est.
„ Adsum impiger: fac nolle, comitabor gemens,
„ Malusque patiar facere quod licuit bono.
„ Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

„ Nempe evidentissime hoc ultimo versu ea fata appel- „ lavit, quam supra dixerat summi patris voluntatem: „ cui se paratum obedire dicit, ut volens ducatur, ne „ nolens trahatur; quoniam scilicet, Ducunt volentem „ fata, nolentem trahunt. Illi quoque versus Homerici „ huic sententiae suffragantur, quos Cicero in Latinum „ vertit:

„ Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
„ Juppiter auctiferas lustravit lumine terras.

„ Nec in hac quaestione auctoritatem haberet poetica „ sententia: sed quoniam Stoicos dicit, vim fati asse- „ rentes, istos ex Homero versus solere usurpare, non „ de illius poetae, sed de istorum philosophorum opi- „ nione tractatur, cum per istos versus, quos disputa- „ tioni adhibent, quam de fato habent, quid sentiant „ esse fatum, apertissime declaratur, quoniam Jovem ap- „ pellant, quem summum deum putant, a quo conne-

(3) Seneca epist. CVII. pag. 631. „ Sic alloquamur Jovem, cujus „ gubernaculo moles ista dirigi- „ tur, quemadmodum Cleanthes „ noster versibus disertissimis al- „ loquitur quos mihi in nostrum „ sermonem mutare permittitur, „ Ciceronis viri disertissimi exem- „ plo. Si placuerint, boni con- „ sules: si displicuerint, scies „ me in hoc secutum Ciceronis „ exemplum.

„ Duc me parens, celsique dominator poli.
„ Quocumque placuit, nulla parendi mora est:
„ Assum impiger. fac nolle. comitabor gemens:
„ Malusque patiar, quod pati licuit bono.
„ Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

„ Sic vivamus, sic loquamur: pa- „ ratos nos inveniat atque im- „ pigros fatum. Hic est magnus „ animus, qui se Deo tradidit: „ at contra ille pusillus ac dege- „ ner, qui obluctatur, et de „ ordine Mundi male existimat, „ et emendare mavult deos, „ quam se. „

„ xionem dicunt pendere (4) fatorum. „ Hactenus S. Augustinus, qui, licet cum veteribus Philosophis, qui divinae voluntatis decretum, sive ut Boethii (5) verbis utar, inhaerentem *mobilibus* dispositionem, *per quam Providentia suis quaeque nectit ordinibus*, fatum appellarunt, non multum esse de verbi controversia laborandum, atque certandum affirmet, tamen citati libri capite primo (6) opportune monet, ut, qui ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat; et capite nono (7) subdit: „ Omnia . . . „ fato fieri non dicimus, immo nulla fieri fato dicimus; „ quoniam fati nomen ubi solet a loquentibus poni, id

(4) Vide, si libet, Justum Lipsium de Constantia lib. I. cap. XVII. seq tom. IV. operum edit. Antuerpiensis ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti MDCXXXVII. pag. 590. seqq. et Physiologiae Stoicorum lib. I. dissertat. XII. tom eod. pag. 548. seqq. Amplissimum S. R. E. Cardinalem Hyacinthum Gerdil in egregio opere inscripto: *Introduzione allo studio della Religione* edit. Aug. Taurinor. MDCCLV. pag. 370. seq. et cl. Appianum Buonafede *Della Istoria e della indole di ogni Filosofia di Agatopisto Cromaziano* vol. IV. edit. Lucensis MDCCLXIX. pag 119. seq.

(5) Boethius de Consolatione Philosophiae lib. IV Prosa VI. edit. Patavinae typis Josephi Comini CIↃIↃCCXXI. pag. 92 seq „ Pro„ videntia est illa ipsa divina ra„ tio in summo omnium principe „ constituta, quae cuncta dispo„ nit: fatum vero inhaerens re„ bus mobilibus dispositio, per „ quam providentia suis quaeque „ nectit ordinibus. Providentia „ namque cuncta pariter, quam„ vis diversa quamvis infinita com„ plectitur; fatum vero singula di„ gerit in motum, locis, formis, „ ac temporibus distributa: ut haec „ temporalis ordinis explicatio, „ in divinae mentis adunata pro„ spectu, providentia sit: ea„ dem vero adunatio digesta, „ atque explicata temporibus fa„ tum vocetur. „ Vide S. Thomam Aquinatem Theologicae Summae part. I. quaest. CXVI.

(6) Tom. cit. col 114. „ Pror„ sus divina providentia regna „ constituuntur humana. Quae „ si propterea quisquam fato „ tribuit, quia ipsam Dei volun„ tatem vel potestatem fati no„ mine appellat, sententiam te„ neat, linguam corrigat. „ Quae verba Muretus in adnot. ad Senecae verba *Fata nos ducunt* pag. 232. refert, subditque: „ Vulgo enim fati nomine acci„ piunt commenticiam quandam „ necessitatem, quae ex sideribus „ pendeat: quae merum somnium „ est. Absit, ait S. Gregorius (In Evangelia lib. I. homil. X. „ num. 4. Operum edit. Venetae „ MDCCLXIX Tom V. pag. 179.) „ a fidelium cordibus, ut fatum „ esse aliquid dicant. Ut a tam „ impiarum opinionum foeditate „ longissime abesse, ita omnes „ voces quae illarum suspicionem „ movere aliquam possint, stu„ diosissime vitare debemus. Si „ Christiani sumus, utamur et „ moribus et vocibus Christia„ nis. „

(7) Num. 5. ibid. pag. 123.

„ est in constitutione siderum cum quisque conceptus „ aut natus est, (quoniam res ipsa inaniter asseritur) „ nihil valere monstramus. Ordinem autem caussarum, „ ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, „ neque fati vocabulo nuncupamus, nisi forte ut fatum „ a fando dictum intelligamus, id est, a loquendo: non „ enim abnuere possumus esse scriptum in litteris san- „ ctis *Semel* (8) *locutus est Deus, duo haec audivi; quo-* „ *niam potestas est Dei: et tibi, Domine, misericordia,* „ *quia tu reddes unicuique secundum opera ejus*. Quod „ enim dictum est, *Semel locutus est*, intelligitur im- „ mobiliter, hoc est, incommutabiliter est locutus, si- „ cut novit incommutabiliter omnia quae futura sunt, „ et quae ipse facturus est. Hac itaque ratione posse- „ mus a fando fatum appellare, nisi hoc nomen jam in „ alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus „ inclinari. „

§. IV. Cum igitur Seneca illud unum in hoc libro explicandum susceperit, cur Deus probos quoque viros adversitatibus angi, cruciarique sinat, cum suprema ejus potestate Mundus regatur, ut libri Argumento titulus congrueret, eum inscripserit oportet, *Quare multa mala bonis viris accidant, cum sit Providentia*, quemadmodum in libro Siculo, quem Marcus Antonius (1) Mure-

(8) Psal. LXI. ver. 12. et 13. ubi Vulgata *quia potestas Dei est; et juxta opera sua*.

(1) Vide M. Antonii Mureti I. C. Presbyteri, et Civis Romani vitam ex Scriptis ejus, et funebri Oratione Francisci Bencii S. I. Sacerdotis ab Andrea Schotto ejusdem Societatis Jesu Sacerdote collectam, praemissam tom. I. Orationum, Epistolarum et Praefationum Mureti edit. Venetae MDCCXXXIX apud Josephum Bortoli pag. VIII. seqq. in quo tomo pag. 330. seqq indicata Bencii in funere Mureti Oratio exstat. Confer Niceronium *Memoires pour servir à l'Histoire des Hommes illustres dans la Republique des lettres tom. XXVII. a Paris* MDCCXXXIV. pag. 143. seqq., et Scaevolae Sammarthani *Elogia Gallorum saeculo XVI. doctrina illustrium cum Praefatione et notis Christophori Augusti Heumanni* lib. III. num. XIX. Isenaci pag. 158. seqq., qui Heumannus pag. 161. adnot. 5. ait: „ Erythraeus „ *Pinac. II.* cap. 50. pag 454. „ seq. testis est Muretum senem „ a Francisco Bencio discipulo suo, „ admonitum nomen dedisse So- „ cietati Jesu, atque ita tum mo- „ res *mutasse ut esset omnibus* „ *exemplo sanctissimeque morere-* „ *tur*. „ Atqui Joannes Victo-

tus vir et dicendi, scribendique facultate, et eruditione

rius de Rubeis, qui sub nomine Jani Nicii Erithraei edidit Pinacothecam illustrium doctrinae vel ingenii laude virorum, qui auctore superstite, diem suum obierunt, Pinacotheca altera num. L. in quo de Francisco Bencio, edit. Colon. Agrippinae CIↃIↃCXLV. scribit: „ In Societatem Jesu re-„ cepto (Francisco Bencio) nihil „ fuit antiquius, quam ut Mu-„ reto Magistro, laboris, quem „ in ipso erudiendo susceperat, „ gratiam referret: neque habuit „ majus pretium, quod illi per-„ solveret, quam ut persuaderet „ ut sacris initiatus, vitam eo „ loco atque ordine dignam exi-„ geret. In quo fuit felix, nam „ impetravit, eumque, cohorta-„ tionibus suis, ita mores mu-„ tare coegit, ut esset omnibus „ exemplo, sanctissimeque mo-„ reretur, quem etiam mortuum „ laudavit, luculenta oratione, „ quae extat. „ Et Pinacotheca I. num. V. in Marco Antonio Mureto pag. 13. et 14. haec habet „ Totis novem ante ejus „ e vita discessum annis pietati ac „ religioni omne suum studium „ dedit . . . . . et sacris initiatus, „ quotidie, si, per valetudinem „ licuisset, multis cum lacrymis, „ divinam illam Hostiam D. O. „ M. sacrificabat. „ Igitur Muretus Bencii quidem cohortationibus, ut sacris initiaretur, ac Sacerdos fieret (vide Orationem a Bencio in ejus funere habitam pag. 340.) adductus fuit, non vero ut Societati Jesu nomen daret: quod non modo Heumannus Janum Nicium Erythraeum falso appellans, sed etiam Jacobus Thomasius temere venditavit, de quo Niceronius tom. cit. pag. 151. „ Jacques Thomasius pretend „ dans la Preface de quelques „ oeuvres, de Muret, dont il a „ donné une edition à Leipsic, „ que ce Savant se fit Jesuite sur „ la fin de ses jours; mais c'est „ une imagination, qui n'a au-„ cun fondement. „ Quantum autem Mureto, quem Sfortia Pallavicinus, deinde S. R. E. Cardinalis amplissimus, in Vindicationibus Romae typis Dominici Manelphi MDCXXXXIX. Cap. XXI. pag. 146. *Oratoris personam non admodum supra mediocritatem* implevisse affirmat, Janus Nicius Erithraeus in ea facultate tribuerit, plane constat ex his, quae de eodem Mureto ait Pinacothecae I. pag. 12. „ Ac mihi elo-„ quentiae in eo virtus, quae „ merito omnium maxima habe-„ tur, ceteris ejus laudibus vide-„ tur antestare. Quid enim ejus „ orationibus inveniri perfectius „ potest? qui flos, quod lumen, „ quis naturalis, non autem fu-„ catus, in eis nitor desideratur? „ quis humilia subtilius, ampla su-„ blimius, mediocria temperan-„ tius potuit dicere? quibus vir-„ tutibus perfecti Oratoris laus „ continetur. Quis nostra aetate „ sermonis genere usus est, adeo „ gravitatis doctrinae prudentiae-„ que referto, et in quo prae-„ terea omnes verborum, omnes „ sententiarum illigentur lepores „ praeter hunc? quis magis lati-„ ne, pure, dilucide suaviterque „ locutus est unquam, et quod „ refert, qui oris pressu, et sua-„ vitate appellandarum literarum „ se magis hujus civem urbis, „ non peregrinum significaret? „ Quis unquam actione, in qua „ fere sunt omnia, par illi exti-„ tit? quae cum constet voce, „ motu, ac gestu, vox erat ma-„ gna, canora, distincta, motus „ plenus artis, ac venustatis, „ gestus non verba exprimens, „ sed rem et sententiam signifi-

spectatissimus atque a Jano Nicio Erithraeo Princeps Oratorum non sui modo saeculi, sed multorum etiam superiorum habitus vidit (2), inscribebatur.

§. V. Jam vero ad eamdem quaestionem explicandam libros singulares duos, eodem titulo signatos, a Lucio Annaeo Seneca compositos, quorum alter injuria temporum (1) intercideritr, alter nunc quoque exstet, nec Au-

---

„ catione declarans. Quamobrem „ illud assecutus videtur, ut non „ hujus modo saeculi sed mul- „ torum etiam superiorum, Ora- „ torum princeps habeatur. „ Horatius quoque Tursellinus elegantissimus e Societate Jesu Scriptor in Praefatione Petri Joannis Perpiniani ex eadem Societate Orationibus praemissa edit. Veronae MDCCXXI. Muretum enumerat inter illos, qui ea *tempestate eloquentiae lumina sine controversia fuerunt*. Et Antonius Maria Gratianus, qui Amerinus Episcopus fuit, scribendi facultate eloquentiaque nemini secundus in epistola ad Nicolaum Tomickium Romae die 4. Januarii 1566 apud Hieronymum Lagomarsinium in adnotationibus ad Julii Pogiani epistolas volum. IV. pag. 128. scribit „ Orationem Legati no- „ mine habebit M. Antonius Mu- „ retus, vir in hoc dicendi genere „ magna semper cum laude ver- „ satus. „.

(2) Muretus in adnot. ad librum Senecae *Quare bonis viris mala accidant cum sit Providentia* pag. 229. edit. Operum Senecae cit. adnot. 3. ad §. 1. „ Vera „ hujus libri inscriptio haec est: „ Quare bonis viris multa mala „ accidant cum sit Providentia. „ Ea non tantum in libro Siculo „ totidem litteris legitur sed, „ quod pluris est, apud Lactan- „ tium in libro de justitia. „ Confer Catalogum Codicum latinorum Bibliothecae Mediceae Laurentianae ab Angelo Maria Bandinio viro eruditissimo confectum tom. III. col. 112. §. 1., ubi describitur codex, in quo Senecae ad Lucilium liber, cui in vulgatis titulus est, *de Providentia*, inscribitur: *Quare multa mala bonis viris accidant*. In codice autem Vaticano Urbinate num. 1355. saeculi XV. ut a clarissimo Praesule Cajetano Marinio, Bibliothecae ejusdem primo Custode accepi, hoc titulo signatur. *L. Annaei Senecae liber ad Lucillum cum Mundus providentia regatur quare multa mala bonis viris accidant*.

(1) Josephus Isaeus, nobilis Lactantii interpres, ad illa Senecae nomine a Lactantio Divin. Institut. lib. V. cap. XXIII. tom I. Operum edit. cit. pag. 423. relata verba *Deus* (inquit) *homines pro liberis habet* ait: „ Haec ipsa „ verba haud certe reperias apud „ Senecam. Quare aut Senecae „ liber excidit, aut quasi Senecae „ verbis eam Lactantius extulit „ sententiam, ut et alibi factitat. „ Horum verborum sententiam „ habes in ejus libello de divina „ Providentia sub initium. „ Eduardus quoque a S. Xaverio in editione operum Lactantii Romae CIↃIↃCCLVII. per Angelum Rotilli ad ea capitis ejusdem seg. II. *cui titulus*, sic habet „ *Librum*. *cui* „ *titulus est*: Aldus *Titulus fuit*: „ Iste liber non idem esse videtur, „ qui inter Senecae opera etiam- „ num *de Providentia* inscribitur: „ vel verba ista ex eo exciderunt.„

ctor ullus probabilis memoriae prodidit, nec omnino credibile videtur. Etenim Seneca, cum ab eo Lucilius quaesivit, *Quid ita si Providentia mundus ageretur multa bonis viris acciderent mala*, quaestionem istam quidem in contextu operis de Providentia, vel de universa morum doctrina, quod animo moliebatur, tractare instituerat, sed nondum attigerat, ut ex ipso libri de quo agimus exordio plane constat. Nam Seneca indicata quaestione sibi a Lucilio proposita: „ Hoc, (2) *inquit*, commodius in „ contextu operis redderetur, cum praeesse universis „ Providentiam probaremus, et interesse nobis Deum. „ Sed quoniam a toto particulam revelli placet, et unam „ contradictionem, manente lite integra, solvere, faciam „ rem non difficilem, causam Deorum agam. „ Vulgato autem Senecae ad Lucilium libro, in quo jactata illa, ab Epicureis praesertim, adversus divinam Providentiam criminatio repellebatur, quis ullum Senecae familiarem, ac Philosophiae studiosum tam ineptum inveniri potuisse censeat, qui a Seneca criminationis integro libro jam ab ipso dilutae confutationem postulaverit? Fac autem extiterit. Numquam profecto Seneca, ut ejus voluntati obsequeretur, tempus, operamque inaniter terendam sibi, actumque agendum, quod vetabatur veteri proverbio, existimasset. Nam quae tandem ad criminationem illam depellendam afferre argumenta poterat, quae in edito ad Lucilium libro non attulisset? Quamobrem vehementer assentior Marco Antonio (3) Mureto, qui hunc

---

(2) Cap. I.

(3) Muretus in Schol. ad librum hunc Senecae seorsum editum MDLXXV. Romae, de qua editione §. VIII. dicemus: „ Liber hic in „ vulgatis codicibus ita inscribi- „ tur: *L. Annaei Senecae de* „ *Mundi gubernatione divina pro-* „ *videntia, et qualiter multa mala* „ *bonis viris accidunt*. Quae in- „ scriptio certe inelegans est, et „ ingenio Senecae indigna. In „ vetere libro, quem habeo, „ multo brevius ac concinnius „ legitur *De Providentia*. Neque „ sane opus fuit addere illud „ *Divina*. Satis enim facile in- „ telligitur, etiamsi reticeatur: „ et Stoici in hac quaestione „ tractanda pronoean aut provi- „ videntiam, simpliciter cum di- „ cebant, divinam providentiam „ intelligebant. Sed tamen haec „ quoque inscriptio vereor, ut „ vera ac germana sit. Non „ enim id hoc libro agitur, ut „ doceatur, divino consilio gu- „ bernari omnia, sed tanquam

ipsum, quem habemus, Senecae ad Lucilium de memorato argumento librum a Lucio Caecilio Firmiano

„ certum, et indubitatum ponitur. Quod autem potissimum „ argumentum a stultis et impiis „ hominibus adversus illam verissimam sententiam adferri solebat, optimos viros saepe vexari et agitari multis calamitatibus, cum improbissimis plurima ex voto saepius eveniant, „ id dissolvitur; et causae cur ita „ fiat, aperiuntur. Unde non dubito, quin vera inscriptio sit „ haec, quae auctore Lactantio „ nititur, apud quem haec leguntur in libro de justitia. *Si quis* „ *autem volet scire plenius, cur* „ *malos et injustos Deus potentes, beatos, et divites fieri sinat: pios contra humiles, miseros, inopes esse patiatur:* „ *sumat eum Senecae librum, cui* „ *titulus est, Quare bonis viris* „ *multa mala accidant, cum sit* „ *Providentia, in quo ille multa,* „ *non plane imperitia saeculari,* „ *sed sapienter ac paene divinitus* „ *elocutus est.* „ Et in disputatione habita cum subsequentem Senecae librum, *Quare bonis viris mala accidant cum sit Providentia* interpretaturus esset Romae III. Non. Junii CIↃIↃLXXV. eidem libro praeposita in editione Romana Senecae a M. Antonio Mureto correcti, et notis illustrati CIↃIↃXXCV. pag. 220. „ Seneca ... „ cum et ab ea disciplina esset, „ quae omnia maxima, minima „ divino consilio gubernari statuit, et ei quem unice diligebat Lucilio idem persuasisset: „ quia tamen scrupulus in Lucilii „ animo aliquis residebat ex eo, „ quod perspicere non poterat, „ cur Deus optimos quosque tot „ acerbitatibus vexari sineret, „ ejus rei causas ad eum misso „ hoc commentariolo tractandas „ explicandasque suscepit. Unde „ constat, veram illius inscriptionem non esse eam, quae vulgo recepta est, *De providentia:* sed *Quare bonis viris multa mala accidant cum sit Providentia*, ut constat ex Lactantio in libro de ira Dei; cujus „ verba huc pertinentia in eis „ notis, quas vestra causa ad „ hujus libri finem addidi, repe„ rietis. „ In quem locum quatuor a me esse animadvertenda arbitror. Primum, Lactantii librum, in quo mentio fit libri Senecae, cui titulus *Quare bonis viris &c.* non esse librum *de ira*, sed *de justitia*, qui liber est Divinarum Institutionum quintus. Alterum, Lactantii verba eo pertinentia in Scholio primo ad Senecae librum, de quo agitur editionis Romanae MDLXXV. descripta, in prima adnotatione ad eundem librum edit. item Romanae CIↃIↃXXCV. fuisse praetermissa. Tertium in eadem Mureti disputatione quae numero III. est inter Mureti Orationes voluminis secundi Orationum Mureti editionis Venetae citatae in adnot. I. ad §. IV. (in qua editione mendose dicitur habita Romae III. Non. Jun. MDLXXXV. nempe pridie ejus diei qua ex hac vita Muretus excessit, obiit enim Muretus pridie Nonas Junii MDLXXXV., ut constat ex Inscriptione quae voluminis primi Orationum ejusdem editionis pag. XIII. legitur) post verba *quae vulgo recepta est*, haec addi „ *quam ego tamen ne omnia novare dicerer retinui*, in ejus disputationis editione Romana Anni MDLXXXV. omissa, propterea quod inscriptioni vulgo receptae vera a Mureto substituta fuerat. Quartum, vocem *Nota* pro adnotatione, aut

Lactantio Divinarum Institutionum libro quinto, qui est de Justitia, capite vigesimo tertio citatum putavit, et Lactantii testimonio, quae vera esset ejusdem libri inscriptio, statuit. Lactantius enim: „ Si (4) quis, *ait*, „ volet scire plenius, cur malos et injustos Deus potentes, beatos, et divites fieri sinat, pios contra humiles miseros inopes esse patiatur, sumat eum Senecae librum, cui titulus est: Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit Providentia. In quo ille „ multa, non plane imperitia saeculari, sed sapienter „ ac pene divinitus elocutus est. *Deus* (inquit) *homines* „ *pro liberis habet: sed corruptos et vitiosos luxuriose*, „ *ac delicate patitur vivere, quia non putat emendatione* „ *sua dignos. Bonos autem quos diligit, castigat saepius*, „ *et assiduis laboribus ad usum virtutis exercet, nec eos* „ *caducis ac mortalibus bonis depravari sinit*.

§. VI. Nec de Mureti sententia deducor, aut deduci quemquam posse arbitror, quod productus a Lactantio Senecae nomine locus in ejusdem Senecae ad Lucilium libro, de quo sermo est, nusquam occurrat. Cum enim, ut initio (1) admonui, extrema hujus libri parte careamus, temere, ac imprudenter faceret, qui propterea locum illum ab hoc libro acceptum inficiaretur. Nam quibus demum argumentis locum ipsum ne in extrema quidem libri parte, qua caremus, occurrisse conficeret? Ad haec quamvis allata a Lactantio verba in Senecae

explicatione temere usurpari. Qua de re haec Jacobus Facciolatus epistola Philologica VII. edit. Patavinae MDCCLII. Orationum ejusdem XX. et aliarum ad dicendi artem pertinentium pag. 442. et seq. „ Jam flagitat tabellarius; „ nec tamen scribendi finem facere possum, antequam te moneam, ne quod in tuis litteris „ semel atque iterum animadverti, „ vocem *Nota* pro adnotatione, „ seu explicatione temere usurpes. „ Quid stupes? Latina non est. „ Nihil te pulcherrimorum librorum tituli moveant, in quibus „ *Notae variorum, Notae Criticae, Notae Selectae*, et similia; nihil quotidianus eruditorum hominum usus, nihil ne „ nostrae quidem scriptiunculae „ olim emissae, cum magnis nominibus crederemus. *Nota* signum est: *notasque apponere*, „ quod habet Cicero in Pison. „ c. 30. est signa quaedam appingere ad ea probanda, vel improbanda, quibus appingimus; „ non explicare, ut vulgo increbuit. „

(4) Tom. I. pag. 422. seq.

(1) §. I.

libro, qui in nostris manibus versatur, desint, insunt tamen subjectae iisdem verbis sententiae. Nam capite primo inquit Seneca: „ Inter bonos viros ac Deum (2) „ amicitia est conciliante virtute: amicitiam dico: im„ mo etiam necessitudo et similitudo, quoniam quidem „ bonus ipse tempore tantum a Deo differt: Discipulus „ ejus aemulatorque et vera progenies, quem parens „ ille magnificus virtutum non lenis exactor, sicut se„ veri patres, durius educat. Itaque cum videris bonos „ viros acceptosque Diis laborare, sudare, per arduum „ ascendere, malos autem lascivire, et voluptatibus flue„ re, cogita filiorum nos modestia delectari, vernula„ rum licentia, illos disciplina tristiori contineri, ho„ rum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat: bonum „ virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi „ illum praeparat. „ Tum capite secundo: „ Patrium „ habet Deus adversus bonos viros animum, et illos „ fortiter amat, et operibus, inquit, doloribus, ac „ damnis exagitentur ut verum colligant robur. „ Demum, ut alia omittam, ne sim longior, capite quarto ait: „ Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, in„ durat, recognoscit, exercet. „ A Lactantio autem Scriptorum, quae affert, testimonia, persaepe non propriis illorum verbis referri, sed suis, ita ut vim sententiarum dissimili oratione reddat, et Lactantii interpretes (3) passim monent, et paulo accuratiore ejus operum lectione a quolibet dignosci, perspicique potest. Quare non levi conjectura, sed firma descriptum a Lactantio Divinarum Institutionum libro quinto capite vigesimo tertio Senecae locum ex ejusdem Senecae ad Lucilium

(2) Vid. Comment. §§. XII. XVII., et seqq.

(3) Vide Isaei loc. in adnot. 1. ad §. v. allatum. Confer Indicem locorum Sacrae Scripturae, quae singulari modo exprimuntur tom. I. operum Lactantii pag. CXXVIII. seqq. Neque vero Lactantio peculiare, sed veteribus scriptoribus „ familiare fuit, ac receptissi„ mum loca ex antiquioribus Au„ ctoribus ut eis in mentem ve„ nit proferre, nulla verborum, „ sed sola sensus habita ratione „ ut monetur in Opere *de optima legendorum Ecclesiae Patrum methodo* part. I. cap x edit. Augustae Taurinorum MDCCXLII, pag. 55.

libro in editionibus, praeter Romanam (4) a Mureto anno MDLXXXV. susceptam, *de Mundi* (5) *gubernatione divina providentia, et qualiter* (vel *quare*) *multa mala bonis viris accidunt* (vel *accidant*) aut *de Providentia*, sive *quare bonis viris mala accidant, cum sit providentia*, aut simpliciter *de Providentia* inscripto, eadem, qua alia pleraque Scriptorum loca, ratione, mutatis nempe verbis, depromptum arbitror; praesertim cum id stili quoque dissimilitudo persuadeat. Nam in eo Senecae testimonio, ut a Lactantio affertur, illa coagmentatio minutissimarum sententiarum, quibus, auctore (6)

---

(4) In hac editione pag. 224. inscribitur *L. Annaei Senecae Quare bonis viris mala accidant cum sit Providentia Liber unus*, in qua inscriptione ex adnotatione Mureti descripta a me in adnot. 2. ad §. IV. omissum *multa* conjicio.

(5) In editionibus quas consului, Veneta 1492, Lipsiensi 1498., Basileensi 1537., et Parisiensi 1581. titulus est: *de Mundi gubernatione divina Providentia, et qualiter multa mala bonis viris accidunt*; in Tarvisina 1478., et Veneta 1490. *De Mundi gubernatione divina Providentia, et quare multa mala bonis viris accidant*; in Parisiensi 1619., Amstelodamensi 1652., et Veneta 1695 *de Providentia, sive quare bonis viris mala accidant, cum sit Providentia*, in Romana 1575, et in Rudolstadiensi 1711 *de Providentia*.

(6) Marcus Fabius Quintilianus Istitutionum Oratoriarum lib. x. cap. 1. edit. Lugd. Batav. et Roterod. ex officina Hackiana 1665. pag. 759. seq. de Seneca: „ Multae in eo claraeque sententiae, „ multa etiam morum gratia legenda; sed in eloquendo corrupta pleraque . . . . Velles eum „ suo ingenio dixisse, alieno judicio. Nam si aliqua contempsisset, ... si non omnia sua „ amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum, quam puerorum amore „ comprobaretur. Verum sic quoque jam robustis, et severiori „ genere jam firmatis legendus, „ vel ideo quod exercere utrinque „ potest judicium. Multa enim, „ ut dixi probanda in eo, multa „ etiam admiranda sunt: eligere „ modo curae sit. „ Hinc ejus opera in editione Basileensi apud Joan. Hervagium MDXXXVII. *et ad dicendi facultatem et ad bene vivendum utilissima vocantur*; et Muretus in Disputatione citata pag. 218. *eum et doctrinae copia, et scribendi elegantia longe multumque omnibus obtrectatoribus suis praestitisse* affirmat, ac teste Francisco Bencio in epistola ad Matthaeum Contarellum Cardinalem Ampliss. qua ipsi Senecam a Mureto correctum, et *notis* illustratum inscribit „ L. Annaeum „ Senecam tanti faciebat, ut eum „ non modo ut sapientissimum, „ quod omnes fatentur, verum „ etiam ut disertissimum, quod „ negant nonnulli, laudaret Auctorem. Ab hoc enim ille non „ tantum praecepta vivendi, sed „ etiam ornamenta eloquendi peti „ posse dicebat. Nimirum ejus „ orationem pressam quidem esse „ ac subtilem, sed concinnam,

Quintiliano, a Seneca rerum pondera franguntur, ne vix quidem apparet.

§. VII. Quanto autem in pretio non modo a Lactantio, verum etiam ab aliis doctissimis viris habitus hic Senecae liber fuerit, multiplices ejus editiones, ac in varias linguas (1) translationes, ac praestantissimorum (2) Philologorum in ipso exponendo labores, susceptumque saeculo decimosexto a celebratissimis duobus Eloquentiae Professoribus Marco (3) Antonio Mureto Romae, et Federico (4) Morellio Parisiis illum Auditoribus suis explicandi consilium testantur.

„ ac splendidam, plenissimamque „ gravitatis: sententias enim ipsas „ ita frequentes, ut aequent prope numerum verborum; verba „ autem ita inter sese apta, et „ cohaerentia, ut nullum movere „ loco possis, substituendi alterius gratia, quin corrumpatur; „ nullum tollere, quin concidat „ oratio. Ex quo, idem profitebatur, ab ejus se lectione meliorem quidem semper, et ad „ humana despicienda paratiorem; sed tamen ornatiorem „ etiam, et ad dicendum, scribendumque instructiorem discedere.„

(1) De hujus libri editionibus seorsum curatis, et in varias linguas translationibus, post Nicolaum Antonium, agit Jo. Albertus Fabricius Bibliothecae Latinae lib. II. cap. 9. pag. 499. seq. et in supplemento novo hoc est Bibliothecae Latinae volumine altero lib. II. cap. 9. §. VI. num. 5., et in adn. 9. pag. 359. Editionibus autem et translationibus a Fabricio indicatis addendae sunt editio Lipsiensis per Cunradum Fadyeloffen (non ut habet Michael Maittaire Annal. typographicorum tom. V. part. poster. Londini MDCCXLI. pag. 552., Kechelophen, vel Kechelofen, ut est apud Georgium Wolfgangum Panzer in Annalibus Typographicis ab artis inventae origine ad Annum MD. Norimbergae MDCCXCIII. vol. I. pag. 489.) Anno nonagesimo octavo, hoc est millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, et Romana MDLXXV., de qua § proximo, et versio Italica ab Angelo Bandinio memorata in Catalogo Codicum latinorum Bibliothecae Mediceae Laurentianae tom. V. col 263. De qua Bandinius idem col. 264 adn. 3. „ Diversa est haec versio ab ea quae „ legitur in calce Italicae versionis Epistolar. Senecae ex Codd. „ Mss. Florentinis eurae *in Firenze nella Stamperia di S. A. R.* „ *MDCCXVIII* pag. 421. „.

(2) In editione Genevensi MDCXXVIII. habemus in hunc librum adnotationes Mureti, Morellii, Lipsii, Gotofredii, Pinciani, Dalecampii, Jugei, Jureti, Obsopoei, De Juges, Gruteri, ex quibus illas, quae nobis utiliores visae sunt in nostram editionem transtulimus. Alios, qui eumdem librum illustrarunt indicat Jo. Albertus Fabricius Bibliot. Lat. volum. primo, et altero, locis citatis, in quibus de L. Annaeo Seneca.

(3) Vide §. proximum.

(4) In editione Genevensi citata Operum Senecae sumptibus Th. de Juges typis autem Alexandri Perneti MDCXXVIII. pag 484. seqq. exstat Federici Morelli Eloquentiae

§. VIII. Ac Muretus quidem, ut omnes in ea re muneris sui partes expleret, primo librum ad veteris libri fidem (1) emendavit, deinde scholiis, maxime opportunis illustravit, tum novam ejus editionem seorsum typis Josephi de Angelis molitus est, quam Hieronymo Ottobono Veneto (2) inscripsit, ac denique III. Nonas Junii Anno MDLXXV., pridie scilicet quam ejusdem libri interpretationem aggrederetur, luculentam ad Auditores suos disputationem (3) habuit, in qua consilii sui de eo

---

Professoris et Interpret. Reg. Praefatio in Senecae librum de Providentia habita Lutetiae in Auditorio Reg. x. Kal. Dec. CIƆIƆXCVII, et pag. 489. seqq. aliquae ejus in eumdem librum adnotationes referuntur.

(1) Constat id ex titulo libri, cujus exempli, quod in Bibliotheca Vaticana num. 4001. servatur, legendi, atque ex eo, quae opportuna mihi erant, exscribendi copiam cl. Praesul Cajetanus Marinius pro summa sua humanitate fecit. Sic autem habet *L. Annaei Senecae de Providentia liber singularis emendatus a M. Antonio Mureto I. C. ad veteris libri fidem cum licentia superiorum. Romae apud Josephum de Angelis. MDLXXV.*

(2) Nescio quo modo epistola, qua Muretus suam hujus Senecae libri editionem Hieronymo Ottobono inscripsit, in Collectione Epistolarum, et Praefationum ejusdem Mureti editionis Venetae apud Josephum Bortoli praetermissa fuerit. Itaque rem Lectoribus gratam me facturum puto, si eam hic exhibeam. Est autem hujusmodi. „ M. Antonius Muretus Hieronymo Ottobono Veneto S. D. Semper maximi feci „ Senecam: semperque de eo, „ ut de Scriptore non tantum, „ quod omnes fatentur sapientissimo, sed etiam, quod fatui „ negant, disertissimo judicavi. „ Itaque multum operae in libris „ illius posui, eosq. saepe cum „ cura pervolutavi: neque me, „ quantum eis legendis profecerim „ paenitet. Te quoque, ut scis, „ praedicatione mea primus impuli, ut eum cognoscere cuperes: „ in quo cum mihi paruisses, „ sensisti eum tibi et ad orationis „ cultum ac copiam, et multo „ magis ad tranquillitatem animi, „ et ad despicienda quaecumque „ immerentibus acerba eveniunt, „ mirabiliter profuisse. Cum „ igitur explicare statuissem librum ipsius de providentia, „ eumque a me diligenter emendatum seorsum a ceteris edi „ placuisset, ut commode in „ manibus haberi posset ab iis, „ qui me audire tanti putabunt: „ volui in ipso ejus quasi limine „ extare testimonium amoris erga „ te mei, orti ex tuo erga optimas „ disciplinas admirabili studio, „ placidissimis moribus, integritate vitae etiam optimis temporibus praedicanda. Nunc a „ te peto, mea quidem caussa, „ ut hoc munusculum libenter „ accipias: tua vero, ut institutam „ vivendi rationem constanter „ persequare: ne, si secus evenerit, aut ego, qui nemini „ adulari soleo, mei dissimilis „ fuisse, aut tu a te ipso descivisse videaris. Vale. Romae „ XV. Kal. Jun. MDLXXV. „

(3) Impressam in Editione Romana Operum Senecae (de qua in adnot. 14. ad Latinii epigram-

libro explicando rationem aperit, multaque praefatus de veterum, quibus divinae revelationis lux non affulserat inconstantia, et levitate in Providentia modo confitenda, modo neganda, aut in dubium vocanda, quod libri Argumentum sit, et quae vera inscriptio docet, causasque undecim a Sancto Joanne Chrysostomo (4) allatas, cur pios Deoque acceptissimos viros omni acerbitatum genere vexari expediat, non modo refert, sed etiam breviter confirmat: quas, ut a Mureto relatae confirmataeque sunt, mihi adscribere placet.

§. IX. „ Prima .... est, ne qui res magnas ac praeclaras gerunt, propterea inflentur ac superbiant, sed „ summittant animos, memores imbecillitatis suae. Con- „ firmatur hoc testimonio Davidis, et Pauli, quorum „ ille (1) bono sibi fuisse ait, quod a Deo depressus, „ castigatusque sit, seque ex eo magis illius justitiam „ perspicere: hic (2) autem, cum usque ad tertium „ caelum raptus esset, eaque (3) vidisset, quae vix

mata) pag. 218. seqq. et in aliis Editionibus.

(4) Homil. I. ad Populum Antiochenum num. 6. seqq. Tom. II. Operum edit. Montfaucon Parisiis MDCCXVIII. pag. 8. seq.

(1) David Psal. CXVIII. ver. 71. „ Bonum mihi quia humiliasti „ me ut discam justificationes „ tuas. „

(2) S. Paulus in epist. II. ad Corinthios cap. XII. ver. 2. seqq. „ „ Scio hominem in Christo ante „ annos quatuordecim, (sive in „ corpore nescio, sive extra cor- „ pus nescio, Deus scit) raptum „ hujusmodi usque ad tertium „ caelum. Et scio hujusmodi „ hominem, (sive in corpore, „ sive extra corpus nescio, Deus „ scit:) quoniam raptus est in „ Paradisum: et audivit arcana „ verba, quae non licet homini „ loqui „ Tum ver. 7. et seqq „ „ Et ne magnitudo revelationum „ extollat me, datus est mihi „ stimulus carnis meae angelus „ satanae, qui me colaphizet. „ Propter quod ter Dominum „ rogavi ut discederet a me: et „ dixit mihi: sufficit tibi gratia „ mea: nam virtus in infirmitate „ perficitur.

(3) Ad haec verba Latinius hanc in margine notam apposuit, *Audivit arcana verba, non vidit.* Etenim in testimonio S. Pauli adnotatione superiori descripto legitur: *Et audivit arcana verba.* Verum, ut monet Cornelius a Lapide in Commentar. in Epistolam II. ad Corinthios cap. XII. editionis Venetae MDCCXVII pag. 314. col. 2. „ Hebraismo *audire* „ *verba* significat videre res, „ Quod confirmatur ex illis Christi Domini ad Apostolos verbis apud S. Joannem Evangel. cap. XV. ver. 15. „ Omnia quaecumque „ audivi a Patre meo nota feci „ vobis., Neque enim ea Christus ex revelatione didicerat, sed in Patre viderat. Quamobrem Tò *audivit arcana verba* in descripto

„ homini in hac vita videre fas est, ne propterea sibi „ placeret, neve insolesceret, additum sibi esse ait an- „ gelum (4) Satanae, a quo quasi colaphis caederetur.

S. Pauli testimonio pro visione acceptum fuit ab aliquibus apud Theodoretum Cyri Episcopum in Interpretatione eorumdem verborum tom. III. Operum edit. Italae MDCCLXXII. pag 348. ubi „ Quidam,.. dicunt verba esse res. „ Vidisse enim ipsam paradisi „ pulchritudinem, et sanctorum „ quae in illo sunt choreas, et „ modulatissimam hymnorum can- „ tus vocem: „ et a S. Augustino epist. CXLVII. olim CXII. cap. XIII. num. 31. Tom. II. col. 485. seq. atque a S. Thoma Aquinate Theologicae Summae 2. 2. quaest. CLXXV. art. III. qui duo singulari munere tributum S. Paulo, ut in eo raptu Deum, sicuti est, videret, putaverunt. Qua de re consulito, si placet, Raymundum Capisuccum Ord. Praed. Sacri Palatii Apostolici Magistrum, ac deinde S. R. E. Cardinalem Controversiarum Theologicarum Controversia XX. quaest. unic. §. III. edit. Romanae MDCLVII. pag. 530. seq. Itaque idem S. Thomas in Commentar. in S. Pauli epistolas in cap. XII. epistolae II. ad Corinthios lect. I. pag. 365. illa S. Pauli *audivit arcana verba, quae non licet homini loqui* ita exponit: „ Sciendum... quod „ secundum Augustinum Paulus „ est raptus ad videndum divinam „ essentiam; quae quidem non „ potest videri per aliquam si- „ militudinem creatam. Unde „ manifestum est quod illud quod „ Paulus vidit de essentia divina, „ nulla lingua humana potest „ dici; alias Deus non esset „ incomprehensibilis: Et ideo se- „ cundum primam expositionem „ dicendum est, *audivit* (id est „ consideravit) *arcana verba* (id „ est, magnificentiam divinitatis, „ quam nullus homo potest loqui.) „ Dicit autem *audivit* pro *vidit*; „ quia illa consideratio fuit se- „ cundum interiorem actum ani- „ mae, in quo idem est auditus „ et visus; secundum quod dicitur „ Numer. 12. „ Ore ad os loquitur „ ei et palam &c. Dicitur autem „ illa consideratio visio, in quan- „ tum Deus videtur in hoc, et „ locutio in quantum homo in „ ipsa instruitur de divinis: Et „ quia hujusmodi spiritualia non „ sunt pandenda simplicibus et „ imperfectis, sed perfectis (se- „ cundum quod dicitur 1. Corint. „ 2. Sapientiam loquimur inter „ perfectos) ideo secundo modo „ exponitur, quod secreta, quae „ ibi audivit, non licet mihi „ loqui homini (id est imperfe- „ ctis) sed spiritualibus, inter „ quos loquimur sapientiam. „

(4) Quid nomine angeli Satanae, quem Apostolus sibi datum scribit, ut colaphos ei impingeret, ne magnitudine revelationum extolleretur intelligendum sit, incertum omnino est, cum variae sint Interpretum de hac re discrepantesque sententiae, quas paucis complectitur Joannes Gagnaejus in Scholiis in omnes D. Pauli epistolas edit. Parisiensis 1563. pag. 83. ad illud *Angelus Satanae*, sive *stimulus carnis*: inquiens: „ Quidam hunc motus in carnem „ interpretantur, alii cum Satan „ Hebraeis adversarium signifi- „ cet, multitudinem adversario- „ rum sibi in evangelio adver- „ santium, qui me, ait, cola- „ phizet, id est, quovis modo „ affligat. Photius interpretatur „ omnes Pauli afflictiones.„

„ Haec igitur prima causa est. Altera, ne ceteri mortales in errorem trahantur, et de praestantibus viris, non ut de hominibus, sed ut de diis quibusdam existiment: a cujus erroris periculo liberantur, cum illos magnos et egregios viros multa perpeti vident, quae illos non deos, sed homines esse declarant. Nam si qui multa bella gesserant, multas urbes expugnaverant, multa hominum millia occiderant, antiquitus in deorum numerum stulta vulgi opinione (5) referebantur; quid putatis eventurum fuisse iis, qui verbo, qui nutu, qui contactu, qui umbra sua fugabant morbos, claudis incessum, surdis auditum, caecis usum oculorum restituebant, mortuos in vitam revocabant, nisi vulgus hominum eos ipsos per quos tam multa admirabilia opera edebantur, esurire, algere, aegrotare, caedi, mutilari, ejusdemque generis alia innumerabilia quotidie subire ac perferre vidisset? Sic quoque, quamvis vociferarentur, nihil eorum sua virtute fieri, Christum esse qui per doctrinae suae praecones ea perficeret, vix tamen impedire poterant, ne sibi divini honores haberentur. Ad Paulum (6) quidem, et ad Barnabam Lystrenses aliquan-

(5) Cicero lib. II. de natura Deorum cap. XXIV. tom. II. pag. 582. „ Suscepit .... vita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in caelum fama, ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber etiam. „

(6) Act. Apostolic. Cap. XIV. ver. 7. seqq. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suae, qui numquam ambulaverat. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet ut salvus fieret, Dixit magna voce: surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. Turbae autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes, et dicentes: Viri, quid haec facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit caelum, et terram, et mare, et omnia

„ do etiam tauros coronatos adduxerant, quos eis tanquam diis immolare cupiebant, nisi id ipsi summa vi prohibuissent. Tertia causa est, ut potestas Dei tanto magis elucescat, qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, carceribus et ergastulis clausos, vinculis et compedibus impeditos, catenis onustos, ea faciat, quorum magnitudinem caeteri omnes obstupescant. Itaque Paulus ipse cum fessus malis quodam tempore petiisset a Deo, ut a se tantas illas et tam multas acerbitates amoveret, responsum hoc tulit: Satis (7) tibi sit, quod mihi carus acceptusque es. Quo enim tu infirmior es, et pluribus difficultatibus conflictaris, eo magis perspicitur potestas mea. Quarta est, quod si bonis viris omnia prospere succederent, si divitiis abundarent, si colerentur, ac suspicerentur a caeteris, si nunquam aegrotarent, nunquam dolerent, nullum incommodum sentirent,

---

„ quae in eis sunt. „ Quomodo autem ex his aliisque prodigiis a S. Paulo, et caeteris Apostolis ac primae aetatis Christianis Dei virtute patratis Christianae Religionis divinitas confirmetur, ostendunt cl. Antoninus Valsecchi *dei Fondamenti della Religione e dei Fonti dell'empietà* vol. II. cap. XVI. §. VII. edit. Patavinae MDCCLXV. pag. 233. seqq. et alii qui causam ejusdem Religionis adversus novos Atheos, ac Deistas egregie propugnarunt.

(7) Vide testimonium S. Pauli ex cap. XII. epist. II. ad Corinthios in adnot. 2. productum cujus extremam partem, quae huc pertinet, S. Thomas Aquinas lect. III. in cit. caput pag. 567. explicat his verbis. „ Subdit „ *propter quod ter &c.* Ubi sciendum est, quod infirmus nesciens processum medici apponentis mordax emplastrum, rogat medicum, ut moveat, quod tamen sciens medicus causam quare faciat, scilicet, propter sanitatem, non exaudit eum quantum ad voluntatem petentis, magis curans de ejus utilitate: Sic Apostolus sentiens stimulum sibi gravem esse ad singularis medici confugit auxilium, ut eum removeat. Ter enim expresse, et devote rogavit, ut Deus tolleret ab eo, scilicet stimulum.... Sequitur responsio Domini, *Et dixit mihi Dominus &c.* Ubi duo facit: Primo ponit Domini responsionem: Secundo responsionis rationem assignat, ibi, *nam virtus &c.* Dicit ergo: Ego rogavi, sed Dominus dixit mihi, *Sufficit tibi &c.* Quasi dicat: Non est tibi necessarium quod infirmitas corporis recedat a te, quia non est periculosa, quia non duceris ad impatientiam, cum gratia mea confortet te; Nec infirmitas concupiscentiae; quia non pertrahet te ad peccatum, quia gratia mea proteget te. „

„ fortassis existimaret vulgus eos pietatem colere, non „ suapte sponte, sed illa quasi mercede allectos, et „ invitatos. Nunc cum eos non egestas, non ignominia, non cruciatus corporis, non tyrannorum saevitia, non mortis metus a Dei cultu, et a vera pietate possit abducere, manifesto constat, honestatem „ ac virtutem, et Deum in primis ipsum ab eis propter „ se, non propter ullam mercedem amari. Non gratis „ te colit Job, dicebat Deo perpetuus ille humani generis (8) hostis. Tu enim eum cumulasti opibus, auxisti liberis, perpetua denique vitae prosperitate prosecutus es. At Deus, Tu vero, inquit, domos ejus „ inflamma, messes combure, pecora interfice, liberos „ eneca, totum ipsius corpus arbitratu tuo lacera ac „ lania: nullus restet novis ulceribus locus: jaceat in „ sterquilinio, cui prius somnum capere licebat in purpura: ne sit quidem quo se abstergeat, sed testa „ manantem ex ulceribus saniem abradat: ut liquido „ constet, eum mei gratuitum non mercenarium esse „ cultorem. Eadem aequitate animi homo sanctissimus „ tulit (9) adversa, qua et prospera exceperat. Quin-

---

(8) Job. cap. I. ver. 9. seqq. „ Cui (Domino) respondens Satan, ait: Numquid Job frustra „ timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus „ benedixisti, et possessio ejus „ crevit in terra? Sed extende „ paululum manum tuam. „ Et cap. II. ver. 3. et seqq. „ Dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum „ Job, quod non sit ei similis „ in terra, vir simplex et rectus, „ ac timens Deum, et recedens „ a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra: Cui respondens Satan, ait: Pellem pro „ pelle, et cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua: „ Alioquin mitte manum tuam, „ et tange os ejus et carnem, „ et tunc videbis quod in faciem „ benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan; Ecce in manu „ tua est, veruntamen animam „ illius serva. Egressus igitur „ Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus: „ Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. „

(9 Etenim auditis nunciis de gregibus boum, et asinarum a Sabaeis, et camelorum a Chaldaeis per vim raptis, de ovibus igne crematis, et de morte liberorum „ Surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram, adoravit, et „ dixit; Nudus egressus sum de

„ ta, ut homines tanto certius atque exploratius ha-
„ beant, non omnia morte terminari, sed superesse
„ aliam vitam, in qua et praemium tribuatur justis, et
„ ab improbis, ac consceleratis paena (10) exigatur. Nam
„ si ne homines quidem usque eo injusti reperiuntur,
„ ut eos quos causa sua multa perpessos vident, sine
„ praemio abire patiantur, quanto minus id de Deo aut
„ cogitare aut suspicari possumus? Cum igitur multos
„ plerumque videamus homines optimos, et innocen-
„ tissimos, quantum quidem hominis natura fert, in
„ hac vita nunquam interquiescere, ac respirare a mo-
„ lestiis, sed perpetua quadam calamitatum serie usque
„ ad extremum spiritum premi: cogitemus necesse est,
„ aut, quod natura ipsa abhorret, ac refugit, Deum
„ injustum esse, aut post hanc vitam suā esse hominum
„ generi praemia, pro suis cuique actionibus, divinitus
„ constituta. Si spes nostra, ait (11) Paulus, iisdem
„ quibus haec vita terminis ac finibus circumscripta te-
„ neretur, nihil nobis infelicius foret. Sexta, ut nos
„ quoque, si quando tale aliquid nobis eveniat, patien-
„ ter feramus, neque despondeamus animum, aut sta-
„ tim propterea Deo invisos esse nos arbitremur: cum
„ iis quoque, qui Deo carissimi, et acceptissimi erant,
„ aut eadem, aut graviora contigisse videamus. Septi-

„ utero matris meae, nudus re-
„ vertar illuc; Dominus dedit,
„ Dominus abstulit: sicut Domi-
„ no placuit, ita factum est:
„ sit nomen Domini benedictum.„
(Job. cap. 1. ver. 20. et seq.)
Cumque in sterquilinio sedenti
testaque saniem radenti dixis-
set uxor sua: „ Adhuc tu per-
„ manes in simplicitate tua? be-
„ nedic Deo et morere... ait ad
„ illam. Quasi una de stultis mu-
„ lieribus locuta es: Si bona sus-
„ cepimus de manu Dei, mala
„ quare non suscipiamus? (Ibid.
„ cap. 2. ver. 9. et 10.)

(10) Argumentum hoc adversus Deistas fusius persequitur cl. Jo. Vincentius Patuzzius Ord. Praed. in opere inscripto *de futuro impiorum statu* lib 1. cap. 11. seq. edit. Veronens. MDCCXLVIII. pag. 7. seqq.

(11) S. Paulus epist. 1. ad Corinthios cap. XV. ver. 19. „ Si in
„ hac vita tantum in Christo
„ speramus miserabiliores sumus
„ omnibus hominibus; „ quia
cum „ in vita ista multa mala
„ et tribulationes... Christiani
„ patiantur, sequitur quod sint
„ miserabiliores ceteris homini-
„ bus, qui ad minus perfruun-
„ tur hujus mundi bonis „ ut
„ inquit S. Thomas Lectione 11.
„ in idem caput pag. 272.

„ ma, ne ullus tergiversationi locus sit, si quis nos ad „ illorum praestantium virorum imitationem cohortetur, „ quasi eos non ejusdem, cujus et nos sumus, sed di- „ vinioris cujusdam naturae fuisse causemur. Octava, „ ut sciamus quibus rebus felicitatem metiri ac dirige- „ re, quosque ex omni hominum numero felices ac „ beatos, quos contra infelices ac miseros ducere de- „ beamus. Non enim qui multa possidet, beatus est: „ sed multo ille beatior, qui non tantum divitias non „ concupiscit, sed iis quas habet, ultro se spoliat, ut „ copiis suis aliorum inopiam sublevet. Non qui inno- „ cens exulat, miser est: sed tanto felicior, si id aequo „ animo ferens, operam det, ne ab illa aeterna ac cae- „ lesti patria exulare cogatur. Non qui firmo ac va- „ lenti corpore est, felix: sed ille qui in corpore quam- „ libet infirmo perpetuam retinet animi firmitatem. Non „ cui multa dura et perpessu aspera eveniunt, miser: „ sed is potius qui prosperis successibus ebrius, neque „ altius oculos mentis attollens, in caducis ac fallacibus „ hujus vitae bonis acquiescit. Nona, ut magis illustre- „ tur eorum patientia ac fortitudo qui se a calamitati- „ bus vinci non sinunt: neque enim a nobis cognosce- „ rentur, nisi a Deo in hujusmodi certaminibus exer- „ cerentur. *Aurum*, ut dicturus est (12) Seneca, *pro- „ bat ignis, miseria fortes viros*. Decima, quoniam hu- „ manae naturae imbecillitas, ne optimos quidem viros „ omnis peccati expertes esse patitur: neque quisquam „ aut est, aut fuit praeter paucissimos, quibus id sin- „ gulari Dei beneficio tributum (13) est, quin aliquan-

(12) Cap. v. „ Ignis aurum probat, miseria fortes viros. „ Id quod divinitus in sacris litteris traditum jam multo ante fuerat. Dicitur enim Psalmo xvi ver. 3. „ „ Igne me examinasti, et non „ est inventa in me iniquitas. „ Et Ecclesiastici cap. ii. ver. 5. „ In igne probatur aurum et ar- „ gentum, homines vero receptibi- „ les in camino humiliationis. „

(13) Concilium Tridentinum sess. vi. de justificatione can. xxiii. „ Si quis hominem semel „ justificatum dixerit amplius pec- „ care non posse, neque gratiam „ amittere; atque ideo eum, qui „ labitur, et peccat, nunquam „ vere fuisse justificatum; aut „ contra, posse in tota vita pec- „ cata omnia, etiam venialia vi- „ tare; nisi ex speciali Dei pri-

„ do offenderet ac prolaberetur: ut hic potius quam „ alibi peccata expientur, ut si qua macula ex illis pro- „ lapsionibus suscepta est, temporariis illis acerbitatibus „ quasi nitro quodam, aut lomento eluatur, ac delea- „ tur. Nam cum justitiae divinae consentaneum sit, „ neminem in caelum pervenire, qui ulla ex parte pol- „ lutus (14) contaminatusque sit: expedit iis ipsis qui „ Deo cari sunt, ita in hac vita purgari, ut cum e cor- „ poris vinculis excesserint, nulla alia purgatione egen- „ tes, sine ulla mora in caelum evolare expediti ac li- „ beri possint. Undecima, ut quo plura acerba patiun- „ tur, quo plures difficultates superant, quo dimicant „ acrius, eo majoribus praemiis ornentur, eo plures „ coronas accipiant; eo majorem in omni aeternitate „ gloriam consequantur.

§. X. Ex his autem Lectores facile cognoscent, quam „ vere dixerit Dionysius (1) Petavius „ ab nostris ple- „ nius, ac nervosius ista tractari, quibus et ad dispu- „ tandum rationum praesidia firmiora sunt, et ad per- „ suadendum vis major exemplorum, ac testimoniorum „ suppetit. „ Caeterum Seneca quoque, Petavio eo- dem (2) teste, quatuor argumentorum capita, quibus in- structam a bonorum aerumnis adversus Providentiam Dei Opt. Max. criminationem infirmat, illustribus et senten- tiis, et exemplis asserit. Quare Lactantius auctor Le-

„ vilegio, quemadmodum de Beata „ Virgine tenet Ecclesia; anathe- „ ma sit. „ Et sess. XIV. de „ Sanctissimo Paenitentiae Sacra- „ mento can. XII. Si quis dixe- „ rit, totam paenam simul cum „ culpa remitti semper a Deo, „ satisfactionemque paenitentium „ non esse aliam, quam fidem, „ qua apprehendunt Christum „ pro eis satisfecisse, anathema „ sit Et Can. XIII. „ Si quis „ dixerit, pro peccatis, quoad „ paenam temporalem, minime „ Deo per Christi merita satis- „ fieri paenis ab eo inflictis, et „ patienter toleratis, vel a sacer- „ dote injunctis, sed neque spon- „ te susceptis, ut jejuniis, ora- „ tionibus, eleemosynis, vel aliis „ etiam pietatis operibus, atque „ ideo optimam paenitentiam es- „ se tantum novam vitam, ana- „ thema sit. „

(14) Apocalypsis Cap. XXI. ver. 27. „ Non intrabit in eam (*ci- „ vitatem sanctam Jerusalem*, „ *quae caelestis Patriae figura est*) „ aliquod coinquinatum, aut abo- „ minationem faciens, et men- „ dacium. „

(1) Cujus testimonium recita- vi adnot. 5. ad §. I.

(2) Ibid.

ctoribus suis fuit, ut Librum hunc sumerent, ne Christianos, quos ab Ethnicis spoliari bonis omnibus, vinciri, damnari miserisque modis necari videbant, idcirco aut invisos Deo, aut a Deo neglectos arbitrarentur. Verum ut erat Seneca

„ Ignarus (3) veri atque superni luminis expers

quemadmodum in aliis operibus ita in hoc libro

„ . . . . multa licet doceat laudanda frequenter

„ Miscuit ille tamen letalia multa vicissim. .

§. XI. Hujus generis illa sunt ex Stoicorum disciplina, quam ipse potissimum (1) profitebatur, accepta opinionum monstra, atque portenta: bonum tempore tantum a Deo differre, et patientia in calamitatibus perferendis Deo (2) antecedere: infortunia omnia, quae boni habent, in (3) materia, ex qua eorum corpora coa-

(3) Latinius Epigram. III.

(1) Jacobus Bruckerus Historiae Criticae Philosophiae ab initiis Monarchiae Romanae ad repurgatas usque literas Periodi secundae parte I. lib. I. cap. II. sect. VII §. VII. tom. II. edit. Lipsiae MDCCXLII. pag. 547. seq. quaerit, utrum Seneca philosophis sectariis, an eclecticis sit adnumerandus? atque ubi monuit, abhorruisse Senecam ab eo Sectariae Philosophiae genere, quod servili quasi jugo uni ita sectae adhaeret, ut ex nulla alia veritatem, licet manifestam recipere patiatur, nec sibi judicium servet ullum, ac duo Senecae testimonia attulit, quibus ipse se cuiquam non mancipasse, nec alligare se ad unum aliquem ex Stoicis proceribus testatur, subdit pag. 548. „ Fecisse haec Se„ necam, quae fassus est se fa„ cere, passim ostendit, et se „ Stoicorum decretis superstitio„ ne caeca non addictum esse re„ lictis eorum placitis demonstra„ vit. Nec obstat quod Stoicos „ nostros vocat, Chrysippum nostrum, Cleanthem nostrum, „ Posidonium nostrum; nam haec „ non ad designandam sectam „ dixisse, ex illo patet, quod et „ Epicurum nosrrum, et Deme„ trium nostrum nominat, quam„ vis nec Epicureae sectae, nec „ Cynicae esset addictus, vide„ turque suos dixisse eos philo„ sophos, quos prae aliis legit „ amavitque, licet totum eorum „ systema non semper esset am„ plexus. Et haec quidem ita se „ habere, dicta satis probant. „ Non tamen haec obstant, quo„ minus Stoicum systema secu„ tum esse Senecam, Zenonisque „ adhaesisse placitis, dici possit, „ si de tota philosophia Senecae „ judicandum. Cuncta enim Stoi„ cis nituntur principiis, doctri„ namque potticus, quoad dog„ mata primaria, exacte referunt „ Confer Appianum Buonafede loc. cit. in adnotatione 8. ad Latinii Epigtammata pag. 3.

(2) Seneca cap. I. „ Bonus ipse „ tempore tantum a Deo differt. „ Et cap. VI. „ Ferte fortiter: hoc „ est quo Deum antecedatis: il„ le extra patientiam malorum „ est, vos supta patientiam. „

lescunt, latere, materiamque ab artifice Deo mutari non posse, atque ideo nec posse bonos infortuniis subduci: morte (4) nos aut finiri, aut transferri, eaque sibi illata licere bono viro, qui pugnare nolit, fugere, ut Cato, (5) aliique (6) fecerunt, *quorum exitum* (7) *et qui timent laudant*.

§. XII. Et sane cum intolerabilis arrogantiae, dementiaeque sit hominem virtute Deo aequare, quantae tandem erit praeferre? ea praesertim causa, qua Seneca abutitur. Cur enim bonum virum, qui calamitates forti animo ferat, Deo antecedere affirmat? Quia Deus *extra* (1) *patientiam malorum est*, vir bonus, ac fortis *supra patientiam*. Quo absurdius dici quid potest? Nam qui res adversas invicto animo sustinet, patientiam exercet, non est supra patientiam. Est enim haec honestatis (2), ac utilitatis causa voluntaria, ac diuturna perpessio rerum arduarum, ac difficilium: Quare in Deo, quem nec dolor, nec labor, nec periculum attingunt, aut attingere omnino possunt, *formaliter* (3), ut Scholae verbis utar, non inest, est tamen in eo *eminenter*, longe scilicet (4) excellentiori, ac praestantiori, ejusque natu-

(3) Cap. v.
(4) Cap. vi.
(5) Cap. ii. et iii.
(6) Cap. vi.
(7) Cap. ii.

(1) Vide adnot. 2. ad §. praecedentem.

(2) Ita patientia definitur a Marco Tullio Cicerone lib. ii. de Inventione Rhetorica cap. liv. tom. i. operum pag. 122., quam definitionem exponens S. Thomas 2. 2. quaest. cxxxvi. art. v. inquit „ Quod dicit, *arduarum*, pertinet ad constantiam in bono. „ Quod dicit *difficilium* pertinet „ ad gravitatem mali, quam propria respicit patientia. Quod „ vero addit *diuturna* sive *diutina* pertinet ad longanimitatem, „ secundum quod convenit cum „ patientia. „

(3) Nempe, ut est honestatis, ac utilitatis causa voluntaria ac diuturna perpessio rerum arduarum ac difficilium.

(4) Audiendus S. Augustinus lib. unic. de Patientia cap. i. tom. vi. col. 533. ubi inquit: „ Virtus animi quae Patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, ut etiam ipsius qui „ nobis eam largitur, qua malos „ ut corrigantur expectat, patientia praedicetur. Ita quamvis „ Deus nihil pati possit, patientia vero a patiendo nomen accepit, patientem tamen Deum „ non modo fideliter credimus, „ verum etiam salubriter confitemur. Sed Dei patientia qualis et quanta sit, quem nihil „ patientem, nec tamen impatientem, immo etiam patien-

rae propria ratione, quam in (5) homine, qui cum a Deo patiens efficiatur, hoc ipsum quod sit patiens acce-

„ tissimum dicimus, verbis explicare quis possit? Ineffabilis „ est ergo illa patientia, sicut „ zelus ejus, sicut ira ejus, et „ si quid hujusmodi est. Nam „ si tamquam nostra ista cogitemus. in illo nulla sunt. „ Nihil enim horum nos sine „ molestia sentimus: absit autem „ ut impassibilem Dei naturam „ perpeti ullam molestiam suspicemur. Sicut autem zelat sine „ aliquo livore, irascitur sine „ aliqua perturbatione, miseretur sine aliquo dolore, poenitet eum sine alicujus suae pravitatis correctione: ita est patiens sine ulla passione. „

(5 Cajus Cotta apud Ciceronem de natura Deorum lib. III. cap. XV. tom. II. operum Ciceronis pag. 637. „ Qualem . . . „ Deum intelligere nos possumus „ nulla virtute praeditum? Quid „ enim? prudentiamne deo tribuemus? quae constat ex scientia rerum bonarum et malarum, et nec bonarum nec malarum. Cui mali nihil est, nec „ esse potest, quid huic opus est „ delectu bonorum et malorum? „ Quid autem ratione? quid intelligentia? quibus utimur ad „ eam rem, ut apertis obscura „ assequamur. At obscurum deo „ nihil potest esse. Nam justitia, quae suum cuique distribuit, quid pertinet ad deos? „ Hominum enim societas, et „ communitas, ut vos dicitis, „ justitiam procreavit. Temperantia autem constat ex praetermittendis voluptatibus corporis; cui si locus in caelo est, „ est etiam voluptatibus. Nam „ fortis Deus intelligi qui potest? „ in dolore, an in labore, an „ in periculo? quorum deum nihil attingit. Nec ratione igitur utentem, nec virtute ulla „ praeditum Deum intelligere qui „ possumus? „ Verum adeatur praeclarissimum S. Thomae Aquinatis opus vulgo inscriptum *Summa contra Gentiles*, in quo Sanctus idem Doctor lib. 1 cap. 92. et duobus proximis argumentum hoc accuratissime tractat. Statuit autem 1. in Deo cujus *bonitas omnium bonitates in se quodammodo comprehendit*, virtutes omnes, quae bonae sunt (*virtuosus* namque ex ipsis *dicitur bonus*, *et opus ejus bonum*) *suo modo* contineri. 2. Nullam earum *secundum habitum* in Deo dici, *sicut in nobis*, quia, cum sit *omnino simplex*, *nec per aliquid suae essentiae additum* agat, *cum sua actio sit suum esse*, *non est virtus in eo aliquis habitus*, *sed suum esse*. 3. Virtutes activas quibus humana vita perficitur, quatenus efficiunt, ut recte corporeis bonis utamur, moresque nostros apposite ad civilem societatem instituamus, Deo qui corpore omnino vacat, et cujus *conversatio*, et *vita longe est a modo humanae vitae*, convenire non posse. 4. Ne illas quidem virtutes posse Deo competere, quae in passionibus fraenandis, temperandisque versantur, cum nulla in ipsum cadere animi affectio, vel perturbatio queat. 5. Ex his virtutibus illas, quae ad corporeum *aliquod bonum delectabile secundum sensum* referuntur, ut *sobrietas*, *castitas*, et generatim *temperantia*, *et continentia*, nec proprie, nec metaphorice de Deo dici, quia corporeae *delectationes omnino a Deo remotae sunt*, *nec*

ptum Deo referat necesse est. Nam turpiter errarunt veteres (6) Philosophi, qui externas commoditates, non

---

est accipere similitudinem ipsarum in Deo secundum similitudinem alicujus effectus: 6. Illas vero, quae sunt *secundum inclinationem appetitus in aliquod spirituale bonum*, quod nempe externo sensu non percipitur, ut *honor*, *dominium*, *victoria*, *vindicta*, *circa quorum appetitum sunt fortitudo*, *magnanimitas*, *et aliae hujusmodi virtutes*, quamvis in *Deo proprie esse non* possint, *eo quod circa passiones sunt*, dici tamen *de Deo* in sacris litteris *metaphorice propter similitudinem effectus:* ut lib 1. Regum cap. II. ver. 2. ,, Non est fortis sicut Deus noster. ,, et Sophoniae cap. II. ver. 3. ,, Quaerite Dominum omnes mansueti terrae, qui judicium ejus estis operati; quaerite justum, quaerite mansuetum. ,, 7. *Virtutes vitam activam hominis dirigentes, quae non circa passiones, sed circa actiones sunt, ut veritas, justitia, liberalitas, magnificentia, prudentia, ars*, in Deo esse, quia *actiones, quae sunt harum virtutum materiae, vel objecta divinae perfectioni non repugnant*. 8. *Si quae virtutes sunt, quae ad aliquas actiones ordinentur, quae sunt subjectorum ad superiora, talia Deo convenire non* posse, *sicut obedientia latria, vel aliquid hujusmodi, quod superiori debetur*. 9. *Si etiam aliquarum ex praedictis virtutibus sint aliqui actus imperfecti, secundum illos Deo attribui praedictas virtutes non* posse, *sicut prudentia quantum ad actum bene consiliandi Deo non competit, cum consilium sit quaedam inquisitio, divina autem cognitio non sit inquisitiva, similiter et justitia quantum ad commutationis actum cum Deus a nullo aliquid accipiat*. 10. Praedictas virtutes in Deo *universalioris extensionis esse*, quam in homine. Nam, *sicut justitia hominis se habet ad civitatem*, vel *domum*, *ita justitia Dei distributiva se habet ad totum universum:* itaque divinas virtutes nostrarum *exemplares* dici. 11. Alias virtutes, quae proprie Deo non conveniunt, non habere exemplar in divina natura, sed solum in divina sapientia, quae *omnium entium proprias complectitur rationes*. 12. Virtutes contemplativas sapientiam, scientiam, non tamen, *quae sit per ratiocinationem causata*, et intellectum, qui est *immaterialis cognitio rerum absque discursu*, Deo maxime convenire, et has virtutes in Deo *exemplares esse nostrarum, sicut perfectum imperfecti*.

(6) Ex falsa, absurdaque horum opinione Cajus Cotta apud Ciceronem lib. III de natura Deorum Cap. XXXVI. tom II. Operum Ciceronis pag 6 7. ait: ,, Hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemque vitae, a diis se habere: virtutem autem nemo unquam acceptam deo retulit. Nimirum recte. Propter virtutem enim jure laudamur, et in virtute recte gloriamur: quod non contingeret, si id donum a deo, non a nobis, haberemus. At vero aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut

autem virtutes a Deo nos habere existimarunt. Etenim si „ ipsius . . . corporis (7) quod est infirmum nostrum „ si qua bona sunt, sicut forma, et vires, et salus, „ et si quid ejusmodi est, non sunt nisi ex Deo Creatore, et perfectore naturae, quanto magis animi bona donare nullus alius potest? Quid enim superbius, „ vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putaverit, cum carne pulcrum faciat Deus hominem, „ animo castum ab homine fieri?

§. XIII. Altera quoque de bonorum infortuniis a materia repetendis opinio, ab (1) Hermogene, aliisque (2)

„ depulimus mali, cum diis gratias agimus, tum nihil nostrae „ laudi assumptum arbitramur. „ Num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit unquam? „ At quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Jovemque optimum et maximum ob „ eas res appellant, non quod „ nos justos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod salvos, incolumes, opulentos, „ copiosos. Neque Herculi quisquam decumam vovit unquam, „ si sapiens factus esset. Quamquam Pythagoras, cum in geometria quiddam novi invenisset, musis bovem immolasse „ dicitur: sed id quidem non „ credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine adspergeret. Ad rem autem ut redeam, judicium hoc „ omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a se ipso „ sumendam esse sapientiam „

(7) S. Augustinus epistola CXLIV. alias CXXX. num. 2. tom. II. Operum col. 468.

(1 Tertullianus in lib. contra Hermogenem cap. 1. Operum Tertulliani edit. Lutetiae MDCXLI. pag. 265. „ Hermogenes.... a Christianis conversus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam et Porticum, inde sumpsit a Stoicis materiam cum „ Domino ponere, quae ipsa „ semper fuerit neque nata, neque facta, nec initium habens „ omnino nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit. „ Et cap. 2. pag. 266. „ Ex nihilo „ non potuisse eum (*Deum*) facere, sic contendit, Bonum et „ optimum definiens Dominum, „ qui bona atque optima tam „ velit facere quam sit; immo „ nihil non bonum atque optimum et velle eum et facere. „ Igitur omnia ab eo bona et „ optima oportuisse fieri secundum conditionem ipsius. Inveniri autem et mala ab eo facta, utique non ex arbitrio, „ nec ex voluntate: quia si ex „ arbitrio et voluntate, nihil incongruens et indignum sibi faceret. Quod ergo non arbitrio „ suo fecerit, intelligi oportere „ ex vitio alicujus rei factum, ex „ materia esse sine dubio. „

(2) S. Augustinus in lib. de Haeresibus cap. LIX. tom. VIII. col. 20. „ Seleuciani sunt vel Hermiani ab „ Auctoribus Seleuco vel Hermia, „ qui elementorum materiam de „ qua factus est mundus, non a „ Deo factam dicunt, sed Deo „ coaeternam ... Malum autem asserunt esse aliquando a „ Deo, aliquando a materia. „

haereticis recepta, et latius propagata, cum a Christianae Religionis doctrina, quae caelum (3), terramque *ex nihilo* facta apertissime tradit, ac omnia quae facta sunt, fuisse *valde* (4) *bona*, tum a recta ratione vehementer abhorret. Ut enim omittam, nec intelligi, nec explicari ullo pacto posse, quomodo a varia qualitate materiae, ex qua humana corpora componuntur, fiat, ut aliqui opulenti, copiosi, honorati sint, alii contra inopes, miseri, obscuri, quid tam repugnans, ut est a Tertulliano in libro contra (5) Hermogenem, atque a Lactantio divinarum Institutionum libro secundo, capi-

---

(3) Machabaeorum lib. II. cap. VII. ver. 28. „ Peto nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia, quae in eis sunt: et intelligas quia ex nihilo fecit ilia Deus, et hominum genus. „ Id autem evincit Tertullianus ex eo, quod Spiritus Sanctus Geneseos cap. I. unde caelum, ac terra condita fuerint, non indicat, atque ita perstringit Hermogenem cap. 22. pag. 277. „ Si .... ex jam factis rebus, alias res Deus proferens, ostendit per Prophetam, et dicit quid unde protulerit: (quamquam possimus undeunde illas prolatas aestimare, dum ne ex nihilo; jam enim facta erant quaedam, ex quibus prolatae videri possent;) si tantam curam instructionis nostrae insumpsit Spiritus Sanctus, ut sciremus quid unde processerit, nonne proinde nos, et de caelo et de terra compotes reddidisset, significando unde ea esset operatus, si de aliqua materia origo constatet illorum? ut tanto magis ex nihilo ea videretur operatus, quanto nihil adhuc erat factum, ex quo operatus videretur. Itaque sicut ea quae de aliquo prolata sunt, ostendit unde prolata sint; ita quae non ostendit unde prolata sint, ex nihilo prolata confirmat. „ Quare in Symbolo Nicaeni Concilii Collect. Conciliorum editionis Venetae MDCCXXVIII. curante Nicolao Coleti tom. II. col. 31. „ Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei .... per quem omnia facta sunt et quae in caelo, et quae in terra. „ Et Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. cap. II. de Fide Catholica tom. XIII. ejusdem Collectionis col 927 „ Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus .... Creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium, et corporalium qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. „

(4) Genesis cap. I. ver. 31. „ Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. „

(5) Cap. 4. seqq. pag. 267. seqq.

te nono (6) demonstratum, quam materiam (7) extensam, solidam, inertem, omnisque sensus, rationis, vo-

---

(6) Tom. 1. pag. 148. seqq.

(7) Cum Cicero, ut refert Lactantius loc. cit. dixisset: „ Non „ est probabile eam materiam re- „ rum unde orta sunt omnia esse „ divina providentia effectam; sed „ habere et habuisse vim et na- „ turam suam: „ Lactantius ostendit materiam, siquidem a se habuisset vim, et naturam suam, Deum esse, atque aeternam, haec autem duo in ipsam, quae insensibilis, iners, torpida sit, ac desierit esse quod erat, cadere nullo modo posse pag. 147. inquiens. „ „ Quam vim (*materia*) potuit „ habere nullo dante? quam na- „ turam nullo generante? Si ha- „ buit vim, ab aliquo eam sum- „ psit. A quo autem sumere, „ nisi a Deo potuit? Porro si ha- „ buit naturam, quae utique a „ nascendo dicitur, nata est A „ quo autem nisi a Deo potuit „ procreari? Natura enim qua di- „ citis orta esse omnia, si consi- „ lium non habet, efficere nihil „ potest. Si autem generandi et „ faciendi potens est; habet ergo „ consilium, et propterea Deus „ sit necesse est. Nec alio no- „ mine appellari potest ea vis, „ in qua inest, et providentia „ excogitandi, et solertia pote- „ stasque faciendi. „ Et pag. 149. „ Fieri non potest, quin „ aeterni natura sit simplex, ut „ inde omnia velut ex fonte, „ descenderint. Itaque aut Deus „ ex materia ortus est, aut ma- „ teria ex Deo. Quid horum sit „ verius, facile est intelligi. Ex „ his enim duobus alterum sen- „ sibile est, alterum caret sensu. „ Potestas faciendi aliquid non „ potest esse, nisi in eo quod „ sentit, quod sapit, quod cogi- „ tat, quod movetur. Nec incipi, „ aut fieri, aut consummari quid- „ quam potest, nisi fuerit ratione „ provisum; et quemadmodum „ fiat, antequam est, et quemad- „ modum constet, postquam fue- „ rit effectum. Denique is facit „ aliquid, qui habet voluntatem „ ad faciendum, et manus ad id „ quod voluit implendum. Quod „ autem insensibile est, iners et „ torpidum semper jacet, et nihil „ inde oriri potest, ubi nullus est „ motus voluntarius . . . . Non „ ergo Deus ex materia, quia sen- „ su praeditum ex insensibili, sa- „ piens ex bruto, impatibile de „ patibili, expers corporis de cor- „ porali nunquam potest oriri: „ sed materia potius ex Deo est. „ Quidquid enim est solido, et „ contrectabili corpore, accipit „ externam vim. Quod accipit „ vim, dissolubile est. Quod dis- „ solvitur, interit. Quod interit, „ ortum sit necesse est. Quod „ ortum est, habuit fontem un- „ de oriretur, id est factorem „ aliquem sentientem, providum, „ peritumque faciendi. Is est pro- „ fecto, nec ullus alius quam „ Deus. Qui quoniam sensu, ra- „ tione, providentia, potestate, „ virtute praeditus est; et ani- „ mantia, et inanima creare et „ efficere potest, quia tenet quo- „ modo quidque sit faciendum. „ Materia vero semper fuisse non „ potest, quia mutationem non „ caperet, si fuisset. Quod enim „ semper fuit, semper esse non „ desinit; et unde abfuit princi- „ pium, abesse hinc etiam finem „ necesse est. „ Iisdem argumentis Hermogenem urget, ac premit Tertullianus, ut ex proximis adnotationibus patebit.

luntatis, consilii, ac virtutis prorsus (8) expertem, infectam, atque a se aeternam (quae duo in naturam tantum infinite perfectam cadere queunt) unaque constantem ex contrariis elementis, in quorum aliquibus externorum bonorum, in aliis malorum (9) semina laterent, atque a Deo, cujus imperio nec subjecta erat, nec esse (10) poterat, quia infecta, et a se aeterna,

---

(8) Nemo est aut tam rudis ut non intelligat, aut tam impudens ut neget, quod ratione constat nasci ex eo non posse quod ratione praeditum non est. Hinc veteres, novique Athei cum in nobis inesse cogitandi vim inficiari nequeant, hanc in materia inesse contendunt. Sed vehementer errant. Cogitatio enim cum soliditate, extensione, impenetrabilitate, quae certae, omnibusque notae materiae proprietates sunt, omnino pugnat. Quare ne divina quidem virtute fieri potest, ut materia cogitet. Ut enim inquit S. Thomas Theologicae Summae parte I. quaest. XXV. art. III. „ repugnat rationi *possibilis absoluti* (quod subditur divinae omnipotentiae) quod implicat in se, *esse non esse* simul. Hoc enim omnipotentiae non subditur, non propter defectum divinae potentiae, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis. Quaecumque igitur contradictionem non implicant, sub illis possibilibus continentur, respectu quorum dicitur Deus *omnipotens*. Ea vero quae contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continentur; quia non possunt habere possibilium rationem. „ Vide praeclarissimum opus Eminentissimi Cardinalis Hyacinthi Sigismundi Gerdil inscriptum „ L'immaterialité de l'ame demontrée contre M. Locke par les memes principes, par lesquels ce Philosophe demontre l'existence et l'immaterialité de Dieu, avec des nouvelles preuves de l' immaterialité de Dieu, et de l'ame, tirées de l'Ecriture, des Peres, et de la raison „ editum Augustae Taurinorum MDCCXLVII. atque Bononiae recusum MDCCLXXXVII. tom. III. Operum ejusdem Eminentissimi Cardinalis, qui tomus immortalis memoriae Pontifici Max. Pio VI. inscriptus fuit.

(9) Tertullianus in lib. cit. cap. II. pag. 270. et seqq. „ Unde nobis persuadet Hermogenes, malam esse materiam? Non enim poterit non malum dicere cui malum adscribit. Nam definimus diminutionem et subjectionem capere non posse quod sit aeternum, ut alii coaeterno inferius deputetur. Ita et nunc nec malum dicimus competere illi, quia nec subjici ex hoc possit, quod nullo modo potest subjici, quia aeternum est. Sed cum alias summum bonum constet esse quod sit aeternum ut Deus, per quod solus est Deus, dum aeternus est; et ita bonus dum Deus: quomodo materiae inerit malum, quam ut aeternam, summum bonum credi necesse est? „

(10) Ibid. cap. 7. pag. 269. „ Duobus aeternis, ut innatis, ut infectis, Deo atque materia, ob eandem rationem communis status, ex aequo habentibus id, quod neque diminui, nec subjici admittit,

immutatam (11) ponere, et Deum, cujus vis ac potestas nullis terminis circumscribitur, et qui nulli naturae est, vel esse potest subjectus, aut obediens, ad hominis imbecillitatem, inopiamque redigere, ita ut tamquam (12) faber, aut fictor ad mundi fabricationem ma-

---

„ id est, aeternitatem: neutrum „ dicimus altero esse minorem, „ sive majorem: neutrum altero „ humiliorem, sive superiorem; „ sed stare ambo ex pari magna, „ ex pari sublimia, ex pari so- „ lidae et perfectae felicitatis, „ quae censetur aeternitas . . . . „ Quomodo ergo discernere au- „ debit Hermogenes? atque ita „ subjicere Deo Materiam, aeter- „ nam aeterno, innatam innato, „ auctricem auctori? dicere au- „ dentem, et ego prima, et ego „ ante omnia, et ego a quo „ omnia: par fuimus, simul fui- „ mus, ambo sine initio, sine „ fine: ambo sine auctore, sine „ Deo. Quis me Deus subjicit „ contemporali, coaetaneo? Si „ quia Deus dicitur, habeo et „ ego meum nomen. Aut ego „ sum Deus, aut ille materia: „ quia ambo sumus quod alter „ est nostrum. „ Et cap. 9 pag. ead. „ Non potest dicere Deum „ ut Dominum materia usum ad „ opera mundi: Dominus enim „ non potuit esse substantiae co- „ aequalis. „

(11) Ibid. cap. 12. pag. 271. „ Age nunc malam ac pessimam „ credamus esse materiam, uti- „ que natura, sicut Deum bonum „ et optimum credimus, proin- „ de natura: porro naturam cer- „ tam et fixam haberi oportebit „ tam in malo perseverantem „ apud materiam, quam in bono „ apud Deum inconvertibilem et „ indemutabilem . . . . Mate- „ riam . . . tene semel aeternam „ determinatam, ut infectam, ut „ innatam: et ideo indemutabi- „ lis, et incorruptibilis naturae „ credendam, ex ipsius etiam „ sententia Hermogenis, quam „ opponit, cum Deum negat „ ex semetipso facere potuisse: „ qui non demutetur quod sit „ aeternum, amissurum scilicet „ quod fuerat; dum fit ex de- „ mutatione quod non erat, „ si non esset aeternum. Domi- „ num vero aeternum aliud esse „ non posse, quam quod est sem- „ per. Hac et ego definitione il- „ lum repercutiam; Materiam „ aeque reprehendo, cum ex illa „ mala, pessima etiam, bona at- „ que optima a Deo fiunt: Et „ vidit Deus quia bona, et be- „ nedixit ea Deus, utique qua „ optima, non certe qua mala „ ac pessima. Demutationem igi- „ tur admisit materia, et si ita „ est, statum aeternitatis amisit: „ mortua est denique sine sua „ forma. Sed aeternitas amitti non „ potest: quia nisi amitti non pos- „ sit, aeternitas non est. Ergo „ nec demutationem potuit ad- „ misisse quia si aeternitas est, „ demutari nullo modo potest. „ Et cap. 39. pag. 285. „ Si et „ materia eadem aeternitate cen- „ setur, neque initium habens „ neque finem, eadem ratione „ non poterit pati dispertitionem „ et demutationem, qua nec Deus. „ In aeternitatis consortio posi- „ ta, participet cum illo necesse „ est et vires, et leges, et con- „ ditiones aeternitatis. „

(12) Ibid. cap. 8. pag. 269. „ At quin etiam praeponit illam „ Deo, et Deum potius subjicit „ materiae, cum vult eum de

teria jam a se existente indiguerit, ipsamque ad opificium adhibuerit, quin antea omni ejus pravitati interitum (13) afferret? Quo facto in illum ut Auctorem, mala omnia, quae pravitas materiae pareret, referenda jure viderentur, quippe qui ea (14) volens, aut non valens radicitus non evulsisset.

„ materia cuncta fecisse. Si enim „ ex illa usus est ad opera Mundi, jam et materia superior invenitur, quae illi copiam operandi subministravit, et Deus subjectus materiae videtur, cujus substantiae eguit. Nemo enim non egèt eo de cujus utitur: nemo non subjicitur ei cujus eget, ut possit uti: sic et nemo de alieno utendo non minor est eo de cujus utitur. Et nemo qui praestat de suo uti, non in hoc superior est eo cui praestat uti. Itaque materia ipsa quidem Deo non eguit, sed ègenti se Deo praestitit, divitem, et locupletem et liberalem, minori opinor et invalido et minus idoneo de nihilo facere quae velit. „

(13) Ibid. cap. 37. pag 285. „ Ut .... argumentationem, qua putasti te propositionem tuam confirmaturum, retundam, oppono etiam illud, si bona fuisset materia semper, quare non desiderasset in melius reformari? Quod bonum, non desiderat, aut non optat, aut non capit profectum? ut fiat de bono melius. Aeque, si mala natura fuisset, quare non potuerit a Deo converti, ut a potentiore, ut ab eo qui lapidum quoque naturam convertere valeat in filios Abrahae? Nempe ergo non tantum comparas Deum materiae, sed et subjicis, a quo natura materiae devinci et edomari in melius non potuisset. „

(14) Ibid. cap. 10. pag. 270. „ Magna, bona fide, caecitas haereticorum pro hujusmodi argumentatione, cum ideo aut alium Deum bonum et optimum volunt credi, quia mali auctorem existiment Creatorem: aut materiam cum Creatore proponunt, ut malum a materia, non a Creatore dedicant: quando nullus omnino Deus liberetut ista quaestione ut non auctor mali videri proinde possit, quisquis ille est qui malum et si non ipse fecit, tamen a quocumque et undeunde passus est fieri. Audiat igitur et Hermogenes, dum alibi de mali ratione distinguimus, interim se quoque nihil egisse hac sua injectione. Ecce enim, et si non auctor, sed assentator mali invenitur Deus, qui malum materiae tanto sustinuit de bono ante mundi constitutionem, quam ut bonus et mali aemulus emendasse debuerat. Aut enim potuit emendare, sed noluit; aut voluit quidem, verum non potuit infirmus Deus. Si potuit et noluit, malus et ipse, quia malo favit: et sic jam habetur auctor ejus, quod licet non instituerit, quia tamen si noluisset illud esse, non esset, ipse jam fecit esse, quod noluit non esse. Quo quid est turpius? Si id voluit esse, quod ipse noluit fecisse, adversum semetipsum egit, cum et voluit esse quod noluit fecisse, et noluit

§. XIV. Jam qui morte nos aut finiri, aut transferri pronunciat, de animorum nostrorum immortalitate, ac de praemiis, quae pios, et de suppliciis, quae impios post mortalem hanc vitam manent, nihil certi se habere palam, aperteque significat. Atqui dubitare de illis, quae ut credamus, non modo divina revelatio praescribit, sed etiam certa ratio, summorum Philosophorum auctoritas, et consensus omnium gentium impellunt, et de quibus ne rustici quidem dubitant, indignum est illo, qui se Philosophum profitetur. Animas autem nostras immortales esse, et statim ac ex vita ista discesserint, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo, vel praemiis pro recte factis donari, vel poenas pro peccatis luere, non tantum ex sacrarum litterarum oraculis, verum etiam ex ipsa animi natura, quae cum simplex sit, nec habeat in se quidquam admixtum, dispar

---

„ fecisse, quod voluit esse. Quasi bonum voluit esse, et quasi malum noluit fecisse. Quod „ non faciendo malum judicavit, „ id sustinendo bonum pronuntiavit, malum pro bono sustinendo, et non potius eradicando, assertor ejus inventus „ est: male, si per voluntatem, „ turpiter, si per necessitatem. „ Aut famulus erit mali Deus, „ aut amicus; cum materiae malo conversatur, nedum etiam „ de malo ejus operatus. „ Et cap. 14. pag. 272. „ Jam . . sine „ causa laboras, ne malorum „ auctor constituatur Deus; quia „ etsi de materia fecit, ipsi deputabuntur qui fecit, proinde „ quatenus fecit. „ Et cap. 15. pag. ead. et seq. „ Si ideo malum „ non ex nihilo, ne Dei fiat, „ de cujus arbitrio videbitur factum, sed ex materia, ut ipsius „ sit, de cujus substantia erit „ factum; et hic ut dixi, auctor mali habebitur Deus, qui „ cum eadem virtute et voluntate debuisset omnia bona ex „ materia protulisse, aut tantum „ bona, non omnia tamen bona, protulisset etiam mala; „ utique aut volens esse mala, „ si poterat efficere ne essent; „ aut non valens efficere omnia „ bona, si voluit et non fecit; „ dum nihil intersit per infirmitatem Dominus auctor mali extiterit, an per voluntatem „. De malo, ejusque causa consulito S. Thomam Aquinatem I part. Summae Theologicae quaest. XLVIII. et XLIX. et in Quaestionibus Disputatis *de malo* quaest. I. Dionysium Petavium de Deo Deique proprietatibus lib. VI. cap IV. seqq. tom. I. pag. 252. seqq Antoninum Valsecchium Operis citati lib. III. part II. cap. III et IV. tom III. pag. 218. seqq. Thomam Mariam Cerbonium O P. Theologiae naturalis lib I. quaest. IV. art. II. edit. Romanae MDCCLXVII. tom. I. pag. 140. seqq et alios, qui novos Epicureos veterem de mali origine ut tanas in limo canentes quetelam, refutarunt. Confer adnotat. 10. ad §. XXIII.

sui, atque dissimile, non potest dividi, ac interire, ex nobilissimorum Philosophorum auctoritate, atque ex nationum (1) omnium consensione, quae constans naturae judicium est, aetatum omnium una sententia, et perpetuo suffragio confirmatum, liquet. Quo magis mirarer animarum nostrarum immortalitatem, earumque post hanc vitam, vel beatam, vel miseram conditionem in dubio positas a Seneca, qui alibi (2), cum de animarum immortalitate loquimur, *non leve momentum apud nos* habere consensum *hominum aut timentium inferos, aut colentium* fatetur, ac Polybii fratrem (3) mortali vita

---

(1) Vide Jo. Vincentium Patuzzium *de futuro impiorum statu* lib. I. cap. II., et seqq. pag. 7. seqq.

(2) Seneca epist. CXVII. pag. 655. ,, Multum dare solemus praesum- ,, ptioni omnium hominum. Apud ,, nos veritatis argumentum est, ,, aliquid omnibus videri: tam- ,, quam deos esse, inter alia sic ,, colligimus, quod omnibus de ,, diis opinio insita est: nec ulla ,, gens usquam est adeo extra ,, leges moresque projecta, ut ,, non aliquos deos credat. Cum ,, de animarum aeternitate dis- ,, serimus, non leve momentum ,, apud nos habet consensus ho- ,, minum, aut timentium infe- ,, ros aut colentium. ,, Hoc eodem argumento ad animorum nostrorum immortalitatem demonstrandam utitur Marcus Tullius Cicero Tusculanarum Quaestionum lib. I. cap. XII. tom. II. pag. 309. ubi Attico ajenti ,, Expone .. ,, nisi molestum est, primum ,, Animos, si potes, remanere ,, post mortem ,, respondet: ,, ,, Auctoribus quidem ad istam ,, sententiam, quam vis obtine- ,, ri, uti optimis possumus; quod ,, in omnibus causis et debet et ,, solet valere plurimum: et pri- ,, mum quidem omni antiquita- ,, te; quae quo propius aberat ,, ab ortu et divina progenie, ,, hoc melius ea fortasse, quae ,, erant vera cernebat, ,, et, quam firmum hoc argumentum esset, declarat cap XIII. pag 311. inquiens: ,, Ut porro firmissi- ,, mum hoc afferri videtur, cur ,, deos esse credamus, quod nul- ,, la gens tam fera, nemo om- ,, nium tam sit immanis, cujus ,, mentem non imbuerit deorum ,, opinio. Multi de diis prava ,, sentiunt: id enim vitioso more ,, effici solet: omnes tamen esse ,, vim et naturam divinam arbi- ,, trantur. Nec vero id collocu- ,, tio hominum aut consensus ef- ,, ficit: non institutis opinio est ,, confirmata, non legibus: Om- ,, ni autem in re consensio om- ,, nium gentium, lex naturae pu- ,, tanda est ,, Confer quae idem habet de Natura Deorum lib. I. cap. XVI. et cap. XVII. num. eod. pag. 526., et lib. II. cap. II pag. 560. Itaque ineptit Baelius, qui argumentum ex omnium gentium consensu ductum nullius momenti esse contendit. Vide Cerbonium lib. cit. quaest. II. art. I. § IV. pag. 63. seqq.

(3) In libro de Consolatione ad Polybium cap. XXVIII. pag. 97. ,, Fruitur nunc aperto et libero

functum frui *aperto*, *et libero caelo*, *ex humili atque depresso in eum* emicuisse *locum*, *quisquis ille est*, *qui* solutos *vinculis* animos *beato* recipit *sinu*, *et nunc libere* vagari, et omnia *rerum naturae bona cum summa voluptate* perspicere praedicat, nisi probe nossem, et commeminissem, quam turpiter humana mens divinae fidei lumine orbata, sibique relicta in rebus etiam apertis, et perspicuis caecutiat, nec firmam de illis, quas percepit, habeat, stabilemque sententiam. Quod, ut alia praeteream, confirmat exemplum Catonis majoris, cui Marcus Tullius Cicero in libro de Senectute omnem sermonem tribuit. Is enim cum gravissimis (4) auctoritatis,

---

„ caelo, ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas vinculis animas beato recipit sinu: et nunc libere vagatur, omniaque rerum naturae bona cum summa voluptate perspicit. Erras, non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est. „ In hoc tamen ipso libro dubitat, animi, a corporibus soluti vivant nec ne, ac sentiant. Nam cap. XVII. pag. 96. sic disputat. „ Nihil.... minus bono viro convenit, quam in fratris luctu calculos ponere. Si illius nomine doleo, necesse est, alterutrum ex his duobus esse judicem. Nam si nullus defunctis sensus superest, evasit omnia frater meus vitae incommoda, et in eum restitutus est locum, in quo fuerat antequam nasceretur, et expers omnis mali, nihil timet, nihil cupit, nihil patitur. Quis iste est furor, pro eo me nunquam dolere desinere, qui nunquam doliturus est? Si est aliquis defunctis sensus; nunc animus fratris mei, velut ex diutino carcere emissus, tandem sui juris et arbitrii gestit, et rerum naturae spectaculo fruitur, et humana omnia ex superiore loco despicit; divina vero, quorum rationem tamdiu frustra quaesierat, propius intuetur. Quid itaque ejus desiderio maceror, qui aut beatus, aut nullus est? beatum flere, invidia est: nullum, dementia. „

(4) In libro de Senectute cap. XXI. Operum Ciceronis tom. III. pag. 463. seq. ubi: „ Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Laeli, viros clarissimos, mihique amicissimos, vivere arbitror: et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda.... Nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem: Sed nobilitas etiam summorum philosophorum et auctoritas. Audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium Sapientissimus, oraculo, Apollinis judicatus.. Quid multa? Sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta ce-

rationisque momentis animos nostros immortales esse probasset, ac se Catonis sui casum fortiter tulisse (5) dixisset, quod existimasset non longinquum inter se, et illum digressum, et discessum fore, addit: „ His (6) „ mihi rebus, Scipio, (id enim te cum Laelio admirari „ solere dixisti) levis senectus, nec solum non mole- „ sta, sed etiam jucunda. Quod si in hoc erro, quod „ animos hominum immortales esse credam, libenter „ erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum „ vivo, extorqueri volo. Sin mortuus (ut quidam mi- „ nuti philosophi censent) nihil sentiam; non vereor, „ ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. „ Quod si non sumus immortales futuri, tamen extin- „ gui homini suo tempore optabile est „: ac antea (7) exclamaverat: „ O miserum senem, qui mortem con- „ temnendam esse in tam longa aetate non viderit! quae „ aut plane negligenda est, si omnino extinguit ani-

---

„ leritas animarum sit, tanta „ memoria praeteritorum, futu- „ rorumque prudentia, tot artes, „ tantae scientiae, tot inventa, „ non posse eam naturam, quae „ res eas contineat, esse morta- „ lem. Cumque semper agitetur „ Animus, nec principium motus „ habeat, quia se ipse moveat; „ ne finem quidem habiturus es- „ se motus, quia nunquam se „ ipse sit relicturus. Et cum „ simplex animi natura esset, „ neque haberet in se quidquam „ admistum dispar sui atque dis- „ simile, non posse eum dividi: „ quod si non possit, non pos- „ se interire. Magnoque esse ar- „ gumento, homines scire plera- „ que ante quam nati sint, quod „ jam pueri, cum artes difficiles „ discant, ita celeriter res innu- „ merabiles arripiant, ut eas non „ tum primum accipere videan- „ tur, sed reminisci et recorda- „ ri. Haec Platonis fere. „ Vi- „ de quae subdit cap. xxii., et „ xxiii. pag. 4‘4. seqq.

(5) Ibid. cap. xxiii. pag. 466. „ O praeclarum diem, cum ad il- „ lud divinum animorum conci- „ lium coetumque proficiscar, „ cumque ex hac turba et col- „ luvione discedam! Proficiscar „ enim non ad eos solum viros, „ de quibus ante dixi: sed etiam „ ad Catonem meum, quo nemo „ vir melior natus est, nemo „ pietate praestantior: cujus a „ me corpus crematum est; quod „ contra decuit ab illo meum. „ Animus vero non me deserens, „ sed respectans, in ea profecto „ loca discessit, quo mihi ipsi „ cernebat esse veniendum. Quem „ ego meum casum fortiter ferre „ visus sum: non quod aequo „ animo ferrem: sed me ipse con- „ solabar, existimans, non lon- „ ginquum inter nos digressum et „ discessum fore. „

(6) Cap. eod. pag. 466. seq.

(7) Cap. xix. pag. 459.

„ mum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, „ ubi sit futurus aeternus. „ Quamobrem desipiunt, ac delirant qui Religionem, quam naturalem vocant, satis esse ad hominem beatum efficiendum pugnacissime contendunt, cum ad illas etiam Religionis veritates, quae naturae lumine intelligi queunt, cognoscendas divina revelatione humanum genus indiguerit. Nam si harum inquisitio solummodo rationi relinqueretur „ sequeren- „ tur, *ut S. Thomas* (8) *inquit*, tria inconvenientia... „ Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio ines- „ set. A fructu namque studiosae inquisitionis qui est „ veritatis inventio, plurimi impediuntur: tribus de „ causis. Quidam siquidem propter complexionis indis- „ positionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi „ ad sciendum: unde nullo studio ad hoc pertingere „ possent, ut summum gradum humanae cognitionis „ attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. „ Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris: „ oportet enim esse inter homines aliquos, qui tem- „ poralibus administrandis insistant, qui tantum tempus „ in ocio contemplativae inquisitionis non possent ex- „ pendere, ut ad summum fastigium humanae inquisi- „ tionis pertingerent scilicet Dei cognitionem. Quidam „ autem impediuntur pigritia. Ad cognitionem namque „ eorum quae de Deo ratio investigare potest, multa „ praecognoscere oportet: cum fere totius philosophiae „ consideratio ad Dei cognitionem ordinetur: propter „ quod Metaphysica, quae circa divina versatur, inter „ philosophiae partes ultima remanet addiscenda. Sic „ ergo non nisi cum magno labore studii ad praedictae „ veritatis inquisitionem perveniri potest: quem quidem „ laborem pauci subire volunt pro amore scientiae, cu- „ jus tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit „ appetitum. Secundum inconveniens est: quod illi qui „ ad praedictae veritatis cognitionem, vel inventionem „ pervenirent, vix post longum tempus pertingerent,

(8) Summae contra Gentiles lib. 1. cap. 4.

„ tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam „ capiendam per viam rationis, non nisi prius post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur: „ tum etiam propter multa quae praeexiguntur, ut dictum est, tum propter hoc quod tempore juventutis „ dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non „ est apta ad tam altae veritatis cognitionem: sed in „ quiescendo fit prudens, et sciens. Remaneret igitur „ humanum genus (si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret) in maximis ignorantiae tenebris: „ cum Dei cognitio, quae homines maxime perfectos, „ et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret. Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis „ humanae plerumque falsitas (9) admiscetur propter „ debilitatem intellectus nostri in judicando, et phantasmatum permistionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quae sunt verissime etiam (10)

(9) Constat hoc ex gravissimis, turpissimisque erroribus in quos veteres Philosophi de Deo, Deique proprietatibus, de animorum nostrorum natura, deque hominum officiis disputantes inciderunt.

(10) Quam variae discrepantesque fuerint de Deo Philosophorum sententiae exponit Marcus Tullius Cicero de Natura Deorum lib. I. cap. I. tom. II. Operum pag. 506. seqq., et cap. X. seqq. pag. 517. seqq., et Tusculanarum Quaestionum lib. I. cap. IX. tom. eod. pag. 303. seqq. eorumdem fere omnium de animo sententias proponit, subditque pag. 307. „ Harum sententiarum quae vera sit, „ Deus aliquis viderit: quae verisimillima, magna quaestio „ est. „ Adeo verum est quod S. Thomas affirmat, *in dubitatione remanere apud multos*, vel acutissimos, *ea, quae sunt verissime etiam demonstrata*. Nam animos nostros immortales esse gravissimis argumentis ab eorum natura ductis demonstratum a Platone, aliisque Philosophis fuerat, quorum sententiam Cicero *in Consolatione* expresserat his ipsis verbis, quae profert ibid. cap. XXVII. pag. 328. „ Animorum nulla in „ terris origo inveniri potest. „ Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut „ quod ex terra natum atque fictum esse videatur, nihil ne „ aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim „ in naturis nihil inest, quod „ vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt. „ Nec invenietur unquam, unde „ ad hominem venire possint, „ nisi a Deo. Singularis est igitur quaedam natura atque vis „ animi, sejuncta ab his usitatis „ notisque naturis. Ita quidquid

„ demonstrata: dum vim demonstrationis ignorant, et „ praecipue cum videant a diversis qui sapientes dicun- „ tur diversa doceri. Inter multa etiam vera quae de- „ monstrantur immiscetur aliquando aliquid falsum quod „ non demonstratur: sed aliqua probabili vel sophistica „ ratione asseritur: quae interdum demonstratio repu- „ tatur. „

§. XV. Ex eadem mentis fallaci judicio suo fidentis perversitate ortum est, ut Seneca (1) non solum licere bono viro mortem sibi inferre tradiderit, sed etiam Deum tam immane facinus approbantem, et, quam celeriter et facile effici posset, explicantem, atque ad illud pene cohortantem induxerit, et eos qui sibi necem attulerant, praesertim Catonem summis laudibus ornaverit, cum ingenitus cuique a natura sensus, nihil eo facinore sceleratius in se admitti ab homine posse declaret. „ Nam, „ *ut recte argumentatur Lactantius*, (2) si homicida, „ nefarius est, quia hominis extinctor est, eidem sceleri „ obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat. „ Imo vero majus esse id facinus existimandum est, „ cujus ultio Deo soli subjacet. Nam sicut in hanc vi- „ tam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc „ domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum „ est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc „ corpus induxit, tamdiu habituros, donec jubeat emit- „ ti; et si vis aliqua inferatur, aequa mente id patien- „ dum est, cum extincta innocentis anima inulta esse „ non possit, habeamusque judicem magnum, cui soli „ vindicta in integro semper est. Homicidae igitur illi „ omnes philosophi, et ipse Romanae sapientiae prin- „ ceps Cato, qui antequam se occideret, perlegisse

„ est illud, quod sentit, quod „ sapit, quod vult, quod viget, „ caeleste et divinum est: ob „ eamque rem aeternum sit ne- „ cesse est. Nec vero Deus ipse, „ qui intelligitur a nobis, alio „ modo intelligi potest, nisi „ mens soluta quaedam et libe- „ ra, segregata ab omni con- „ cretione mortali, omnia sen- „ tiens et movens, ipsaque prae- „ dita motu sempiterno. „

(1) Vide Senecae loca citata in adnot. 4. 5. et 6. ad §. XI

(2 Lactantius divinarum Institutionum lib. III. cap. XVIII. tom. I. pag. 239. seq.

„ Platonis (3) librum dicitur, qui est scriptus de aeternitate animarum, et ad summum nefas philosophi auctoritate compulsus est; et hic tamen aliquam moriendi causam videtur habuisse, odium servitutis. Quid Ambraciotes ille, qui cum eumdem librum perlegisset, praecipitem se dedit, nullam aliam ob causam, nisi quod Plàtoni credidit? Execrabilis prorsus ac fugienda doctrina, si abigit homines a vita. Quod si scisset Plato, atque docuisset, a quo, et quomodo, et quibus, et quae ob facta, et quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegisset in mortem voluntariam, nec Catonem, sed eos ad vitam, et justitiam potius erudisset. Nam Cato (4) videtur mihi causam quaesisse moriendi, non tam ut Caesarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos sectabatur, nomenque suum grandi aliquo facinore clarificaret: cui quid mali accidere potuerit, si viveret, non invenio. Cajus enim Caesar, ut clemens erat, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipso belli civilis ardore, quam ut bene mereri de Republica videretur, duobus optimis civibus Cicerone, et Catone servatis. „

§. XVI. Ac tantum quidem abest ut Cato se interi-

---

(3) Ad haec verba pag. 240. hanc Isaeus adnotationem apposuit: „ Plato hoc non docuit; ex initio Phaedonis contrarium patet: non itaque philosophi auctoritate, sed suimet insania, philosophi mentem non percipiens, ad illud facinus fuit compulsus. „

(4) Cicero de Officiis lib. I. cap. XXXI tom. III. Operum pag. 307. „ Haec differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnunquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius in eadem causa non debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia caeteri, qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui caeteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod eorum vita lenior, et mores fuerant faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roboravisset, semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potius, quam tyranni vultus adspiciendus fuit. „ Vide S. Augusrini testimonia, quae §. proximo describimus, ex quibus efficitur Catonem neque naturae gravitatem, neque constantiam in eo facinore prae se tulisse.

mens si minus probe (nam „ his . . . exceptis (1) quos „ vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiae Deus „ specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit homicidii crimine innectitur) at certe fortiter fecerit, quin immo imbecillum, inconstantemque animum prae se tulit. Ut enim acute animadvertit S. Augustinus, „ si (2) rationem diligentius consulas, ne ipsa quidem animi magnitudo „ recte nominatur, ubi quisque non valendo tolerare, „ vel quaeque aspera, vel aliena peccata, se ipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quae „ ferre non potest vel duram sui corporis servitutem, „ vel stultam vulgi opinionem: majorque animus merito dicendus est, qui vitam aerumnosam magis potest ferre, quam fugere; et humanum judicium, maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris „ involvitur, prae conscientiae luce ac puritate contemnere „. Qui deinde ad objectum Catonis exemplum respondens: „ De (3) cujus facto, *ait*, quid potissimum „ dicam, nisi quod amici ejus etiam docti quidam viri, „ qui hoc fieri prudentius dissuadebant, imbecillioris „ quam fortioris animi facinus esse censuerunt, quo „ demonstraretur non honestas turpia praecavens, sed „ infirmitas adversa non sustinens? Hoc et ipse Cato „ in suo carissimo filio indicavit. Nam si turpe erat sub „ victoria Caesaris vivere, cur auctor hujus turpitudinis pater filio fuit, quem de Caesaris benignitate omnia „ sperare praecepit; Cur non et illum secum coegit ad „ mortem? . . . Nullo modo igitur Cato turpe esse judicavit, sub victore Caesare vivere: alioquin ab hac „ turpitudine paterno ferro filium liberaret. Quid est „ ergo, nisi quod filium quantum amavit, cui parci a „ Caesare et speravit et voluit, tantum gloriae ipsius „ Caesaris, ne ab illo etiam sibi parceretur, ut ipse „ Caesar dixisse fertur, invidit; aut, ut aliquid nos mi-

(1) S Augustinus de Civitate Dei lib.I. cap.XXI. tom. VII. col.21.

(2) Ibid. cap. XXII. col. ead.

(3) Ibid. cap. XXIII. col. 22.

„ tius dicamus, erubuit? „ Et alio in loco: „ Utrum (4) „ obsecro, Cato ille patientia, an potius impatientia se „ peremit? Non enim hoc fecisset, nisi victoriam Caesaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? nempe „ cessit, nempe succubuit. „ Itaque cum vel Philosophis (5) ipsis fatentibus, piis omnibus sit retinendus animus in custodia corporis, nec injussu ejus, a quo datus est, ex hominum vita migrandum, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamur, et mori, ut (6) paupertatem vel molesti quippiam fugiamus, fortis viri minime sit, sed potius timidi, quippe cum laboriosa fugere mollities sit, nec mortem sustineat quispiam, quia honestum sit, sed ut malum evitet, ac fugiat, quod non est fortis, Cato sibi mortem consciscens, non modo improbe, sed etiam imbecilliter fecit, atque adeo ejus exitum mirari nemo, laudare autem multo minus potest.

§. XVII. Praeter haec, quae a Christianae Religionis, rectaeque rationis dogmatibus aliena prorsus esse ostendi, alia quaedam ex Stoicorum decretis Seneca in hoc ipso libro tradit, quae licet, ut ab illo afferuntur, vel

---

(4) Lib. xix. operis ejusdem cap. iv. num. 4. col. 547. et seq.

(5) Cicero in libro de Senectute cap. xx. tom. iii. pag. 461. „ Ita „ fit ut illud breve vitae reliquum „ nec avide appetendum senibus, „ nec sine causa deserendum sit: „ vetatque Pythagoras injussu im„ peratoris, id est Dei, de prae„ sidio et statione vitae decedere. „ Et in Somnio Scipionis cap. iii. tom. eod. pag. 573. seq „ Quae„ so . . . pater sanctissime atque „ optime, quoniam haec est vi„ ta (ut Africanum audio dicere) „ quid moror in terris? quin huc „ ad vos venire propero? Non „ est ita, inquit ille. Nisi enim „ Deus is, cujus hoc templum „ est omne quod conspicis, istis „ te corporis custodiis liberave„ rit, huc tibi aditus patere non „ potest. Homines enim sunt hac „ lege generati, qui tuerentur il„ lum globum, quem in hoc tem„ plo medium vides . . . . Quare „ et tibi, Publi, et piis omni„ bus retinendus est animus in „ custodia corporis: nec injussu „ ejus, a quo ille est vobis da„ tus, ex hominum vita migran„ dum est, ne munus humanum „ assignatum a Deo defugisse vi„ deamini. „

(6) Aristoteles Moralium Nicomachiorum Jo. Bernardo Feliciano interprete lib iii. cap. 7. Operum Aristotelis part. v. Venetiis mdlxxxv. pag. 86. „ Mori . . . ut vel „ paupertatem, vel amorem, vel „ molesti quippiam fugiamus, „ fortis viri minime est, sed po„ tius timidi: quippe cum labo„ riosa fugere, mollicies sit; ne„ què hanc mortem sustinet quis„ piam, quia honestum sit, sed

ut obvius verborum sensus fert, accepta cum iisdem dogmatibus pugnent, alias tamen ad ea accommodantur. Ut enim ordiar ab amicitia, ac necessitudine, quam inter bonos viros, ac Deum esse Seneca (1) docet, ecquis nostrum est, qui Deo cum justis amicitiam et necessitudinem esse non fateatur? cum Christus Dominus Apostolos amicorum (2) nomine dignetur, atque illum, a quo (3) ipse diligatur, a se, atque a Patre suo diligendum, Patremque, ac se ipsum ad eum venturos, et apud eum mansuros testetur. At vero amicitia haec et necessitudo non naturali virtute, qualis illa est, de qua Seneca loquitur, sed gratia Dei, quae divina (4) qualitas est in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam, et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas, pulchriores, ac splendidiores reddit, et caritate (5) divinitus in cordibus nostris diffusa *per*

d 2

„ ut malum evitet, ac fugiat. „

(1) Cap. 1. cujus verba §. VI. descripsi.

(2) Evangel. S. Jo. cap. XV. ver. 15. „ Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque „ audivi a Patre meo, nota feci „ vobis. „

(3) Ibid. cap. XIV. ver. 21. „ Qui . . . . diligit me diligetur „ a Patre meo; et ego diligam „ eum, et manifestabo ei meipsum. „ Et ver. 23. „ Si quis „ diligit me, sermonem meum „ servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, „ et mansionem apud eum faciemus. „

(4) Catechismus Romanus Part. II. de Sacramento Baptismi num 50.

(5) S. Paulus in Epist. ad Roman. cap. V. ver. 5. „ Caritas „ Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui „ datus est nobis „ ad quae S. Thomas lect. 1. in cit. cap. pag. 46. „ Caritas Dei . . . . dupliciter accipi potest. Uno modo „ pro caritate qua diligit nos „ Deus: Hierem. 31. *Caritate* „ *perpetua dilexi te:* Alio modo „ potest dici caritas Dei, qua „ nos Deum diligimus: Infra cap. „ 8. *Certus sum quod neque mors,* „ *neque vita separabit nos a* „ *caritate Dei.* Utraque autem „ caritas Dei in cordibus nostris „ diffunditur per Spiritum Sanctum qui datus est nobis: Spiritum enim Sanctum qui est „ amor Patris et Filii dari nobis, „ est nos adduci ad participationem amoris qui est Spiritus „ Sanctus. A qua quidem participatione efficimur Dei amatores. Et hoc quod ipsum amamus, signum est quod ipse nos „ amet: Prov. 8. *Ego diligentes* „ *me diligo.* Quod sic intelligitur dici. *Non quasi nos primo* „ *dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos,* „ ut dicitur 1. Joan. 4. Dicitur „ autem caritas qua nos diligit, „ *in cordibus nostris diffusa* esse: quia est in cordibus nostris „ patenter ostensa per donum „ Sancti Spiritus nobis impres-

Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, conciliatur. Ut enim S. Thomas (6) constituit: „ Non quilibet amor „ habet rationem amicitiae, sed amor qui est cum be- „ nevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem, ut „ ei bonum velimus . . . . . Sed nec benevolentia suf- „ ficit ad rationem amicitiae: sed requiritur quaedam „ mutua amicitia, quia amicus est amico amicus. Talis „ autem mutua benevolentia fundatur super aliqua com- „ municatione. Cum ergo sit aliqua communicatio homi- „ nis ad Deum secundum quod nobis suam beatitudi- „ nem communicat, super hanc communicationem opor- „ tet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem com- „ municatione dicitur I. ad Cor. I. *Fidelis Deus, per* „ *quem vocati estis in societatem filii ejus*. Amor autem „ super hanc communicationem fundatus, est caritas. „ Ex quo fit, ut eam in nobis infundi divinitus oporteat. Nam ut Sanctus idem Doctor subdit: „ (7) Caritas est „ amicitia quaedam hominis ad Deum, fundata super „ communicatione beatitudinis aeternae. Haec autem „ communicatio non est secundum dona naturalia, sed „ secundum dona gratuita: quia ut dicitur ad Roma- „ nos 6. *Gratia Dei vita aeterna*. Unde et ipsa caritas „ facultatem naturae excedit. Quod autem excedit na- „ turae facultatem, non potest esse neque naturale, „ neque per potentias naturales acquisitum: quia effectus „ naturalis non transcendit suam causam. Unde caritas „ non potest neque naturaliter nobis inesse, neque per „ vires naturales est acquisita: sed per infusionem Spi- „ ritus Sancti, qui est amor Patris, et Filii, cujus par- „ ticipatio in nobis est ipsa caritas (8) creata. „

„ sum: 1. Joan. 3. *In hoc sci-* „ *mus quoniam manet in nobis* „ *(Deus) quoniam de Spiritu* „ *suo dedit nobis*. Caritas au- „ tem qua nos Deum diligimus, „ dicitur in cordibus nostris dif- „ fusa, quia ad omnes mores et „ actus animae perficiendos se ex- „ tendit: Nam ut dicitur 1. Cor. „ 13. *Caritas patiens est, be-* „ *nigna est &c.*

(6) S. Thomas Aquinas Theologicae Summae part. 2.2. quaest. XXIII. art. I.

(7) Ibid. quaest. XXIV. art. II.

(8) Vide eumdem S. Doctorem ibid. quaest. XXIII. art. II. et cl. P. Fr. Jo. Fran. Bernardum Mariam de Rubeis O. P. in Tractatu Theologico *de Caritate* cap. III. §. II.

§. XVIII. In hominibus quoque similitudinem cum Deo, quin etiam imaginem (1) Dei suspicimus, Deumque, ut communem omnium hominum Parentem observamus, et colimus, ejusque praeceptis eruditi, et auxilio adjuti ad divinam perfectionem in nobis, quoad fieri potest, exprimendam contendimus, ac nos ab eodem tamquam carissimos filios ab amantissimo Patre castigari, ac probari agnoscimus. Versantur enim ante oculos nostros vulgata illa Sacrarum Scripturarum oracula, „ Faciamus (2) hominem ad imaginem, et similitudinem nostram; et creavit (3) Deus hominem ad imaginem suam. Haeccine (4) reddis Domino popule stulte, et insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te. Sic (5) ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in caelis. Estote (6) vos perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est. Estote (7)... imitatores Dei sicut filii charissimi. Disciplinam (8) Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. „ Nemo tamen nostrum est, cujus aures, atque

(1) Quid inter similitudinem, imaginemque intersit ex S. Augustino declarat S. Thomas Aquinas Theologicae Summae part. 1. quaest. XCIII. art. 1. inquiens. „ Sicut Augustinus dicit in lib. 83. qq (qu. 74.) *ubi est imago, continuo est et similitudo: sed ubi est similitudo, non continuo est imago*. Ex quo patet quod *similitudo* est de ratione imaginis: et *imago* aliquid addit supra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex alio expressa. Imago enim dicitur ex eo quod agitur ad imitationem alterius. Unde ovum, quantumcumque sit alteri ovo simile et aequale, quia tamen non est expressum ex illo, non dicitur imago ejus.„

(2) Genesis cap. I. ver. 26.

(3) Ibid ver. 27. Vide Natalem Alexandrum in Hist. Eccles. Vet. Test. aetatis Mundi I. art. VII. Prop. II. in qua hominem ad imaginem Dei secundum animam conditum fuisse ostendit, et varias Sanctorum Ecclesiae Patrum, in quo potissimum ratio illa imaginis constituenda sit, inquirentium sententias proponit. Confer. S. Thomam quaest. cit.

(4) Deuteronomii cap. XXXII. ver. 6. Confer testimonium Act. Apostolic. quod adnot. 19. producimus.

(5) Matthaei cap. VI. ver. 9.

(6) Ibid. cap. V. ver. 48.

(7) S. Paulus in epist. ad Ephesios cap. V. ver. 1.

(8) Proverbiorum cap. III. vers. 11. et 12.

animi non abhorreant a Stoicorum dementia, qui eo similes Dei homines esse putaverunt, quod animi nostri ex iisdem, quibus divina (9) constant, seminibus componantur, Deique (10) partes, et membra sint, sapientemque suum eadem, qua Deum, ratione (11) effectum, Dei esse (12) socium, non supplicem, ex pari (13) cum Deo vivere, nec ab ipso differre Deum, nisi (14) tempore, ac plura hominibus praestandi facultate, quae duo nihil ad bene vivendum (15) pertinent, immo prae-

---

(9) Seneca in libro de Consolatione ad Helviam cap. VI. pag. 75. „ I nunc, et animum humanum, ex iisdem quibus divina constant compositum seminibus, moleste ferre puta transitum ac migrationem: cum Dei natura, assidua et citatissima commutatione, vel delectet se, vel conservet. „

(10) Idem epist. XCII. pag. 587. „ Quid est . . . . cur non existimes in eo (*animo*) divini aliquid existere, qui Dei pars est? totum hoc quo continemur, et unum est, et Deus: et socii ejus sumus, et membra . . . . Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur, et spectat in caelum, ita animus, cui in quantum vult, licet porrigi, in hoc a natura rerum formatus est, ut paria diis velit, et sic utatur suis viribus, ac se in spatium suum extendat. Non aliena vi ad summa nititur; magnus erat labor, ire in caelum: redit. „

(11) Idem epist. LXXXVII. pag. 562. „ Quaeris quae res sapientem faciat? quae Deum. „

(12) Idem epist. XXXI. pag. 442. „ Hoc est summum bonum, quod si occupas, incipis Deorum esse socius, non supplex. „

(13) Idem epist. LIX. pag. 487. „ Sapiens ille est qui plenus gaudio, hilaris, et placidus, et inconcussus, cum Diis ex pari vivit. „

(14) Idem in libro, de quo agimus cap. I. „ Bonus ipse tempore tantum a Deo differt. „ Cur autem dicat bonum tempore tantum a Deo differre ex ejusdem testimonio, quod proxima adnotatione describimus, educitur.

(15) Idem epist. LXXIII. pag. 516. seq. „ Solebat Sextius dicere, *Jovem plus non posse quam bonum virum*. Plura Jupiter habet, quae praestet hominibus: sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior, non magis, quam inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui majus speciosiusque navigium est. Jupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est. Sapiens nihilo se minoris aestimat, quod virtutes ejus spatio breviore clauduntur. Quemadmodum ex duobus sapientibus, qui senior decessit, non est beatior eo, cujus intra pauciores annos terminata virtus est: sic Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit aetate; non est virtus major, quae longior. Jupiter omnia habet: sed nempe aliis tradidit habenda; ad ipsum hic unus usus

stare Sapientem Deo, quod Deus uti bonis, quae aliis largitur, non possit, sapiens nolit, ac Deus naturae beneficio sapiens sit, non suo, quemadmodum vir bonus (16) est, effutierunt. Etenim „ nimium . . . superbi, „ nimiumque sunt caeci, qui (17) cum dicant humanam „ animam divinae esse substantiae, non intelligunt nihil „ se aliud dicere, quam Deum esse mutabilem, et ipsum „ perpeti quicquid potest naturae ejus inferri . „ Quod intellexit vel ipse Vellejus, qui de Pythagora inquit: „ Pythagoras (18), qui censuit, animum esse per naturam „ rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione humanorum animorum discerpi et lacerari Deum: et cum „ miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum „ dei partem esse miseram: quod fieri non potest. Cur „ autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset „ deus? „ Quamobrem S. Paulus (19) in Deo quidem nos vivere, moveri et esse dicit, propterea quod ab ipso

---

„ pertinet, quod utendi etiam „ omnibus causa est: sapiens tam „ aequo animo omnia apud alios „ videt, contemnitque, quam „ Jupiter, et hoc se magis suspicit, „ quod Jupiter uti illis non potest, sapiens non vult. Credamus itaque Sextio, monstranti pulcherrimum iter, et clamanti: *Hac itur ad astra*: hac, „ secundum frugalitatem, hac, „ secundum temperantiam, hac, „ secundum fortitudinem. Non „ sunt dii fastidiosi . . . Semina „ in corporibus humanis divina „ dispersa sunt, quae si bonus „ cultor excipit, similia origini „ prodeunt, et paria his ex quibus orta sunt surgunt: si malus, non aliter quam humus „ sterilis ac palustris, necat, ac „ deinde creat purgamenta pro „ frugibus. „

(16) Idem epist. LIII. pag. 474. „ Omnes mortales multo antecedes, non multo te dii antecedent. Quid inter te et illos „ interfuturum sit, quaeris? diutius erunt. At mehercule magni artificis est, clausisse totum in exiguo. Tantum sapienti sua, quantum Deo omnis „ aetas patet. Est aliquid, quo „ sapiens antecedat Deum: ille „ naturae beneficio, non suo sapiens est: ecce res magna, „ habere imbecillitatem hominis, „ securitatem Dei. „

(17) S Leo Magnus epist. XV. ad Turribium Asturicensem Episcopum de Priscillianistarum erroribus cap v. operum ejusd. edit. Balleriniorum Venetae MDCCLIII. tom. I. col. 700.

(18) Apud Ciceronem de Natura Deorum lib. I cap. XI. tom. II. operum ejusd. pag. 519.

(19) Actor. Apostol. cap. XVII. ver. 24. seqq. „ Deus qui fecit „ Mundum, et omnia, quae in eo „ sunt, hic caeli, et terrae cum „ sit Dominus, non in manu-

habemus, ut vivamus, moveamur, et simus, qui nos et condidit, et conservat, Dei vero partes, aut membra esse non dixit; immo caelum terramque, et omnia quae iis continentur, ab eo effecta, eumdemque caelo, ac terrae dominari perspicue affirmavit. Itaque per summam fraudem, impudentiamque Pantheistae ad impium suum absurdissimumque systema confirmandum ejus testimonio (20) abutuntur. In nobis autem divina sane imago inest, sed imperfecta. Etenim „ aequalitas (21).... non „ est de ratione imaginis (quia ut Augustinus ibidem „ dicit, ubi est imago non continuo est aequalitas, ut „ patet in imagine alicujus in speculo relucente) est „ tamen de ratione perfectae imaginis. Nam in perfecta „ imagine, non deest aliquid imagini, quod insit illi „ de quo expressa est. Manifestum est autem quod in „ homine invenitur aliqua Dei similitudo, quae deduci- „ tur a Deo sicut ab exemplari, non tamen est simi- „ litudo secundum aequalitatem, quia in infinitum ex- „ cedit exemplar hoc tale exemplatum. Et ideo in ho- „ mine dicitur esse imago Dei, non tamen perfecta, „ sed imperfecta. Et hoc significat Scriptura, cum di- „ cit hominem *factum ad imaginem Dei*: praepositio „ enim, *ad*, accessum quemdam significat, qui competit „ rei distanti. „ Virtutes vero perfectae, quibus praediti sunt justi, (nam in caeteris qui caritate, quae forma (22) virtutum est, carent, vel simulata dumtaxat species virtutum est, vel virtus quidem in suo genere vera, sed

---

„ factis templis habitat, nec ma- „ nibus humanis colitur, indi- „ gens aliquo, cum ipse det omni- „ bus vitam, et inspirationem, „ et omnia. Fecitque ex uno omne „ genus hominum inhabitare su- „ per universam faciem terrae, „ definiens statuta tempora, et „ terminos habitationis eorum, „ quaerere Deum si forte attre- „ ctent eum, aut inveniant, quam- „ vis non longe sit ab unoquoque „ nostrum. In ipso enim vivi- „ mus, et movemur, et sumus; „ sicut et quidam vestrorum Poe- „ tarum dixerunt: Ipsius enim, „ et genus sumus. „

(20) Vide Antoninum Valsecchium operis cit. tom. II. pag. 119. seqq. adnot. D.

(21) S. Thomas Summae Theologicae I. parte quaest. XCIII. art. I.

(22) Idem 2.2. quaest. XXIII. art. VIII. quo in articulo ostendit caritatem omnium aliarum virtutum formam esse, quod *per caritatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem*.

non perfecta, atque adeo ne simpliciter quidem (23) vera) non modo a divinae virtutis perfectione, ut finitum ab infinito absunt, sed ne summam quidem perfectionem, quae cadere in creaturam potest, attingere in mortali hac vita queunt, adeo (24) ut euntes de virtute in virtutem renovari de die in diem, ac in ipsa justitia bonis operibus crescere, atque magis justificari non possint. Quamobrem praeclare S. Ambrosius (25): „ Aliter . . . bonum Deum dicimus, aliter hominem, aliter justum Deum appellamus, aliter hominem. Similiter et sapientem Deum aliter dicimus, aliter hominem. Quod et Evangelio docemur: *Estote ergo et vos perfecti, sicut et pater vester, qui in caelis est, perfectus est*. Ipsum Paulum lego perfectum, et non perfectum. Nam cum dixisset; *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem si comprehendam*;

---

(23) Ibid. art. VII. ubi: „ Si accipiatur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sine caritate, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum: sed si illud particulare bonum, non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiam quae est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis. Sicut non est vera virtus *avarorum prudentia, qua excogitant diversa genera lucrorum; et avarorum justitia, qua gravium damnorum metu contemnunt aliena: et avarorum temperantia, qua luxuriae, quae sumptuosa* est, cohibent appetitum: et avarorum fortitudo, qua (ut ait Horatius)

„ Per mare pauperiem fugiunt, per saxa per ignes,

„ ut Augustinus dicit in 4. lib. contra Julianum; si vero illud bonum particulare sit verum bonum, ut puta conservatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus sed imperfecta, nisi referatur ad finale et perfectum bonum. Et secundum hoc, simpliciter vera virtus sine caritate esse non potest. „

(24) Concilium Tridentinum Sess. VI. in Decreto de Justificatione cap. x. „ Sic ergo justificati, et amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; hoc est, mortificando membra carnis suae, et exhibendo ea arma justitiae in sanctificationem per observationem mandatorum Dei, et Ecclesiae in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est: Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usque ad mortem justificari. „

(25) S. Ambrosius de Officiis Ministrorum lib. III. cap. II. num. II. edit. operum ejusdem Venetiis MDCCLI. tom. III. col. 131.

„ statim subjecit: *Quicumque ergo perfecti sumus*. Du-„ plex est enim forma perfectionis: alia medios, alia „ plenos numeros habens: alia hic, alia ibi: alia se-„ cundum hominis possibilitatem, alia secundum perfe-„ ctionem futuram. Deus autem justus per omnia, sa-„ piens super omnia, perfectus in omnibus. „ Ex quibus intelligitur Christum Dominum praecipientem nobis, ut perfecti simus sicut et Pater noster caelestis perfectus est, non id velle, quod fieri omnino non potest, ut divinam perfectionem aequemus, sed ut, qua ratione mortalem vitam agentibus fas est, et divinae caritatis praeceptum requirit, eam imitemur, perfecte, cum ad caelestem patriam pervenerimus, pro conditione tamen creaturarum expressuri. Etenim „ perfectio (26) caritatis „ potest intelligi dupliciter. Uno modo ex parte dili-„ gibilis, alio modo ex parte diligentis. Ex parte qui-„ dem diligibilis perfecta est caritas, ut diligatur aliquid „ quantum diligibile est. Deus autem tantum diligibilis „ est, quantum bonus est: Bonitas autem ejus est in-„ finita: Unde infinite diligibilis est. Nulla autem crea-„ tura potest eum diligere infinite: cum quaelibet vir-„ tus creata sit finita. Unde per hunc modum nullius „ creaturae caritas potest esse perfecta, sed solum ca-„ ritas Dei, qua seipsum diligit. Ex parte vero dili-„ gentis tunc est caritas perfecta, quando diligit tantum „ quantum potest. Quod quidem contingit tripliciter. „ Uno modo sic, quod totum cor hominis actualiter „ semper feratur in Deum: Et haec est perfectio cari-„ tatis patriae, quae non est possibilis in hac vita in „ qua impossibile est, propter humanae vitae infirmita-„ tem, semper actu cogitare de Deo, et moveri dile-„ ctione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum „ deputet ad vacandum Deo, et rebus divinis, praeter-„ missis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae „ requirit. Et ista est perfectio caritatis, quae est pos-„ sibilis in via: non tamen est communis omnibus ha-

(26) S. Thomas parte cit. quaest. xxiv. art. 8.

„ bentibus caritatem. Tertio modo, ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo: ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod divinae dilectioni sit contrarium. Et haec perfectio est communis omnibus caritatem habentibus. „ Caritas porro a natura nobis non tribuitur, et naturae viribus comparari a nobis nequit, sed divina largitate nobis (27) infunditur, et ne ab ea excidamus, aeternamque beatitatem promereamur, egemus auxilio (28) gratiae Dei, quod ut ab eo impetremus necessaria est oratio, „ cujus (29) „ praeceptum non solum consilii causa traditum est, „ sed etiam necessarii jussi vim habet, quod a Christo „ Domino declaratum est illis verbis, *Oportet* (30) *semper orare* ..... Nam cum nihil cuiquam debeat Deus, „ reliquum profecto est, ut quae nobis opus sunt, ab „ eo precibus expetamus, quas preces tamquam instrumentum necessarium nobis dedit ad id quod optaremus consequendum. „ Quae cum ita sint quis non perspicit recitata Stoicorum de hominum cum Deo similitudine dogmata ab omnibus repudianda, et execranda esse, ac Philosophos illos commenticia (31) sapientis forma, quam sibi temere effinxerant, deceptos adeo desipuisse, ut quae de eo jactarent ne decretis quidem suis congruentia, et convenientia esse, et quid natura perfectissimi requireret, non perciperent? Ipsi enim Deum numen (32) esse praestantissimae mentis, undi-

(27) Ibid. art. II.

(28) Concilium Tridentinum Sess. cit. de Justificatione can. II. „ Si quis dixerit, ad hoc solum „ divinam gratiam per Christum „ Jesum dari, ut facilius homo „ juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit; quasi „ per liberum arbitrium sine „ gratia utrumque, sed aegre tamen, et difficulter possit; anathema sit „

(29) Catechismus Romanus Part. IV. cap. I. num. 2 et 3.

(30) Lucae cap. XVIII. ver. I. cujus verborum non ea vis est, ut continenter precandum nobis sit, cum aliis operibus necessario occupemur, sed ut desiderium caritatis, quod orationis causa est, continuum in nobis sit vel actu vel virtute, quandoquidem ejus desiderii virtus in omnibus, quae ex caritate facimus manet, ut exponit S. Thomas Theologicae Summae 2. 2. quaest. LXXXIII. art. XVI.

(31) Vide Justum Lipsium Manuductionis ad Stoicam Philosophiam lib. II. dissertat. VIII. tom. IV. Operum pag. 466. seq.

(32) Quintus Lucilius Balbus Stoicus apud Ciceronem de Natu-

que (33) perfectum, optimum, omniumque rerum (34) potestate, dominatuque dignissimum, in quo sensum, et rationem inesse necesse est, et acriora quidem et majora, homine (35) melius, qui nullo modo perfectus, sed est quaedam (36) particula perfecti, virtute praeditum, sapiens, quo nulla vis (37) possit accedere, et sine quo nulla mens (38) bona existat. Quibus positis quo tandem modo fieri potest, ut homo eadem plane ratione sapiens sit, ac Deus, Deique socius ex pari cum Deo, nec Dei beneficio, sed suo vivat? Et si autem honeste vivere, et corporis, quaeque externa ipsi sunt bona despicere homo, qui aeternus non est, nec suapte natura bonus, non sua quidem vi, ut Stoici arbitrabantur, sed divina ope queat, nec inter duos bonos melior sit qui locupletior, ipsa tamen summae, absolutaeque perfectionis ratio (39) postulat, ut qui summe est, absoluteque perfectus, veluti Stoicis ipsis fatentibus est Deus, per se aeternus sit, optimus, omnium dominator, nullius rei indigus, et plene beatissimus, atque ita talis sit, ut non possit non esse: a qua perfectionis forma cum iidem abesse prorsus sapientem suum (40) nossent, si quidquam sapuissent, ab eo cum supremo numine comparando, et quod deterius, ac dementius est, illi praeferendo sibi temperassent.

§. XIX. Age nunc quo sensu affirmet Seneca, nihil mali accidere bono viro (1) posse, Deumque non pati bonis viris aliquid mali (2) fieri, ac se Lucilio persuasurum, ne unquam boni viri (3) misereatur, quia pot-

---

ra Deorum lib. II. cap. II. tom. II. Operum pag. 559.

(33) Ibid. cap. XIII. pag. 573.

(34) Ibid. cap. XI. pag. 570.

(35) Ibid. cap. VI. pag. 565.

(36) Ibid. cap. XIV. pag. 573.

(37) Ibid. cap. XIII. pag. 572.

(38) Seneca epist. LXXIII. pag. 517. „ Nulla sine Deo mens bona „ est. „

(39) Vide Thomam Cerbonjum Theologiae Naturalis lib. I. quaest. I. art. III. pag. 9. seqq.

(40) Adeatur Justus Lipsius Manuductionis ad Stoicam Philosophiam lib. III. dissert. XIV. tom. cit. pag. 511. seqq.

(1) Seneca libri de quo agimus cap. II.

(2) Ibid. cap. VI.

(3) Ibid. cap. III.

est dici miser, non potest esse, paucis expediamus. Igitur Stoicorum princeps Zeno inter sectae suae decreta haec posuit, primum nihil (4) aliud in bonis habendum, nisi honestum, nihil nisi turpe in malis: alterum, misericordiam, (5) quae affectio, perturbatio, vel passio sit, ex miseria alterius suscepta, sicut et caeteras affectiones, perturbationes, passiones, vitium animi, et morbum esse, qui in sapientem non cadat: tertium, beatam (6) vitam eam solam, quae cum virtute degatur, nec „ ejus, (7) qui honeste viveret, si idem et bene „ valeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fo„ re vitam, melioremque, et magis expetendam, quam „ illius, qui aeque vir bonus, multis modis esset, ut „ Ennii Alcmaeo,

„ *Circumventus morbo, exilio atque inopia.* „

Hinc viro bono nihil male accidere nec pati Deum, ut aliquid ei mali eveniat, ac bonum dici posse miserum, esse autem non posse ajebant, non quod virum bonum perpeti dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum, aut Deum, ut haec ille patiatur, sinere negarent, sed quod ea (8) aspera quidem, et incommoda, et rejicienda, et aliena naturae esse concederent, mala vero, et si exigua, et porro minima, ut ab aliis Philosophis (9) appellabantur,

---

(4) Cicero de Finibus lib. III. cap. III. tom. II. operum pag. 18.

(5) Vide Justum Lipsium Manuductionis ad Stoicam Philosophiam lib. III. dissert. XIX. pag. 518. seq. et Senecae testimonium, quod paulo post afferimus.

(6) Cicero de Finibus lib. IV. cap. XXI. tom. cit. pag. 239.

(7) Ibid. cap. XXIII. pag. 241.

(8) Ibid. lib. V. cap. XXVI. pag. 283. „ Si Stoicis concedis, ut vir„ tus sola, si adsit, vitam efficiat „ beatam: concedis etiam Peri„ pateticis. Quae enim mala illi „ non audent appellare, aspera „ autem, et incommoda, et re„ jicienda, et aliena naturae esse „ concedunt, ea nos mala dici„ mus, sed exigua et porro mi„ nima. Quare si potest esse bea„ tus is, qui est in asperis reji„ ciendisque rebus, potest is quo„ que esse, qui est in parvis „ malis. „

(9) Cato apud Tullium lib. III. de Finibus cap. VIII. pag. 194. ait. „ Quod vero negari nullo modo „ possit, quem unquam stabili, „ et firmo, et magno animo, „ quem fortem virum dicimus „ effici posse, nisi constitutum „ sit, non esse malum dolorem? „ Ut enim qui mortem in malis „ ponit, non potest eam non „ timere: sic nemo ulla in re

tur, esse non concederent, immo viris bonis, qui eadem forti, invictoque animo ferrent, salutaria, atque adeo bona esse contenderent. Ex quo illud conficiebant, non esse boni viri, qui in ejusmodi calamitates incidat, miserendum; et hunc posse dici miserum, esse autem non posse, quandoquidem in (10) quo virtus sit, ei

---

„ potest id, quod malum esse „ decernit, non curare, idque „ contemnere; „ ad quae Cicero lib. IV. cap. XIX. pag. 256. „ Cum ea spectant et avent audire, cur dolor malum non „ sit, dicunt illi, asperum esse „ dolere, molestum, odiosum, „ contra naturam, difficile toleratu: sed, quia nulla sit in „ dolore nec fraus, nec improbitas, nec malitia, nec culpa, „ nec turpitudo, non esse illud „ malum. Haec qui audierit, ut „ ridere non curet, discedet tamen nihilo firmior ad dolorem „ ferendum, quam venerat. Tu „ autem negas fortem esse quemquam posse, qui dolorem malum putet. Cur fortior sit, si „ illud, quod tute concedis, asperum et vix ferendum putabit? Ex rebus enim timiditas, „ non ex vocabulis nascitur. „

(10) Cicero Paradoxo II Operum tom. III. pag. 515. Ipsi tamen Stoici qui ajebant ipsa virtute effici ita beatam vitam, ut beatior esse non possit fatebantur „ tamen quaedam deesse sapientibus, tum cum sunt beatissimi: itaque eos id agere, „ ut „ a se dolores, morbos, debilitates repellant, „ ut inquit Tullius de Finibus lib. IV. cap. VIII. tom. eod. pag. 224. Quin immo quae mala esse inficiabantur adeo gravia, et aspera esse quandoque posse statuebant ut sapienti ad ea evitanda fas esset mortem sibi consciscere: quam eorum inconstantiam reprehendit S. Augustinus de Civitate Dei lib. XIX. cap. IV. num. 4 colum. 547. his verbis. „ Jam vero illa virtus, cujus „ nomen est fortitudo in quantacumque sapientia evidentissima testis est humanorum malorum, quae compellitur patientia tolerare. Quae mala Stoici philosophi miror qua fronte mala non esse contendant, „ quibus fatentur, si tanta fuerint ut ea sapiens vel non possit, vel non debeat sustinere, „ cogi eum mortem sibimet inferre, atque ex hac vita emigrare. Tantus autem superbiae „ stupor est in his hominibus, „ hic se habere finem boni, et „ a se ipsis fieri beatos putantibus, ut sapiens eorum, hoc „ est, qualem mirabili vanitate „ describunt, etiam si excaecetur, obsurdescat, obmutescat, „ membris debilitetur, doloribus „ crucietur, et si quid aliud talium malorum dici aut cogitari potest, incidat in eum, quo „ sibi mortem cogatur inferre, „ hanc in his malis vitam constitutam, eos non pudeat beatam vocare. O vitam beatam, „ quae ut finiatur, mortis quaerit auxilium! Si beata est, „ maneatur in ea: si vero propter ista mala fugitur ab ea, „ quomodo est beata? Aut quomodo ista non sunt mala, quae „ vincunt fortitudinis bonum, „ eamdemque fortitudinem non „ solum sibi cedere, verum etiam „ delirare compellunt, ut eamdem vitam et dicat beatam, et

nihil ad beate vivendum desit. Misericordiam porro in (11) vitiis, ac morbis animi numerabant, et a sapiente excludebant, quia misericordiae nómine aegritudinem animi ob alienarum miseriarum speciem susceptam intelligebant, „ aegritudo autem, *ut inquit Seneca* (12), in sapientem virum non cadit: severa ejus „ mens est, nec quidquam incidere potest, quod illam „ obducat . . . . Ergo non miseretur, quia et sine mi- „ seria animi non fit: caeterum omnia quae qui miseren- „ tur dolentes facerent, hic libens et alacri animo faciet. „ Succurret alienis lacrimis, non accedet: dabit manum „ naufrago, exuli hospitium, egenti stipem, non hanc „ contumeliosam, qua pars major horum, qui se mi- „ sericordes videri volunt, abjicit et fastidit quos adjuvat, „ contingique ab his timet: sed ut homo homini ex „ communi dabit, donabit lacrimis maternis filium, et ca- „ tenas solvi jubebit, et ludo eximet, et cadaver etiam „ noxium sepeliet. At faciet ista tranquilla mente, vultu „ suo. Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret, sed „ proderit, in commune auxilium natus, ac publicum „ bonum, ex quo dabit cuique partem: etiam ad cala- „ mitosos, pro portione, improbandos et emendandos, „ bonitatem suam permittet. Afflictis vero, et fortius

---

„ persuadeat esse fugiendam? „ Quis usque adeo caecus est, „ ut non videat, quod si beata „ esset, fugienda non esset? Sed „ si propter infirmitatis pondus, „ qua premitur, hanc fugiendam „ fatentur; quid igitur caussae „ est, cur non etiam miseram „ fracta superbiae cervice faten- „ tur? „

(11) Seneca de Clementia lib. II. cap. v. pag 211. „ Misericordia est aegritudo animi ob „ alienarum miseriarum speciem: „ aut tristitia ex alienis malis „ concepta, quae accidere immerentibus credit. „ In eamdem sententiam Cicero Tusculanarum Quaestionum lib. IV. cap. VIII. tom. II. pag. 429. „ Misericordia „ est aegritudo ex miseria alterius „ injuria laborantis: nemo enim „ parricida aut proditoris supplicio misericordia commovetur. „ Itaque cum eodem libro cap. XXVI. pag. 445. objecisset sibi *utile* esse *misereri*, respondet: „ Cur mi- „ sereare potius quam feras opem, „ si id facere possis? an sine „ misericordia liberales esse non „ possumus? Non enim suscipere „ ipsi aegritudines propter alios „ debemus: sed alios si possumus „ levare aegritudine. „

(12) Cap. cit. et seq. pag. 211. seqq.

„ laborantibus, multo libentius subveniet. Quotiens poterit, fortunae intercedet; ubi enim opibus potius utetur, aut viribus, quam ad restituenda quae casus impulit? Vultum quidem non dejiciet, nec animum, ad aeruscantis civis aut pannosi aridam faciem, et obnixam baculo senectutem: caeterum omnibus dignis proderit, et deorum more, calamitosos propitius (13) respiciet. „ Non igitur misericordiam, ut alienae miseriae levatio est, sed ut passio rectae rationi tenebras offundens, in animi vitiis, morbisque Stoici constituebant, atque a sapiente removebant. Nec discrepans illorum erat de caeteris passionibus sententia. Etenim „ ut docuit (14) liber Epicteti nobilissimi Stoici, ex decretis Zenonis et Chrysippi, qui hujus sectae primas habuerunt, hujusmodi passiones in animum sapientis admittunt, quem vitiis omnibus liberum volunt. Unde fit consequens, ut haec ipsa non putent vitia, quando sapienti sic accidunt, ut contra virtutem mentis rationemque nihil possint, et una sit eademque sententia Peripateticorum, vel etiam Platonicorum,

---

(13) Paria habet S. Augustinus de moribus Ecclesiae Catholicae, et de moribus Manichaeorum, lib. I. cap. XXVII. num. 53. operum tom. I. col. 705. seq. „ Illa „ omnia, quibus hujuscemodi malis incommodisve resistitur, qui „ officiose atque humaniter praebent, misericordes vocantur, „ etiamsi sapientes usque adeo „ sint, ut jam nullo animi dolore turbentur. Nam quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor „ faciat condolentis alieno malo? „ Et quis non concedat ab omni „ miseria liberum esse debere sapientem, dum subvenit inopi, „ cum esurienti cibum praestat „ potumque sitienti, cum vestit „ nudum, cum peregrinum tecto „ recipit, cum oppressum liberat, „ cum denique humanitatem suam „ usque ad sepulturam porrigit „ mortuorum? Etiamsi id faciat „ mente tranquilla, nullis aculeis „ doloris instinctus, sed adductus „ officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Huic enim „ nihil obest nomen, cum absit „ miseria. „ De quo loco Retractationum lib. I. cap. VII. num. 4. tom. eod. col. 10. inquit. „ Quod dixi de iis, qui subveniunt indigentibus, *quia misericordes vocantur, etiamsi sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur*: „ non sic accipiendum est tanquam definierim, in hac vita „ esse tales sapientes, non enim „ dixi, cum sint: sed dixi, *etiam si sint*. „

(14) Idem de Civitate Dei lib. IX. cap. V. Tom. VII. col. 222.

„ et ipsorum (15) Stoicorum: sed, ut ait Tullius, verbi controversia jam diu torqueat homines Graeculos contentionis cupidiores, quam veritatis. „

§. XX. Longe facilius exponuntur illae Senecae propositiones, rerum naturam (1) non pati, ut unquam bona bonis noceant, magis (2) universos, quam singulos a Deo curari; quantum cuique restet prima (3) nascentium hora disponi; non incidere, ut putamus, cuncta sed venire: quidquid est, quod nos sic vivere jussit, et mori, eadem (4) necessitate et Deum alligare; et illum ipsum omnium conditorem, ac rectorem scripsisse quidem fata, sed sequi semper parere, semel jussisse, e

(15) Rem hanc totam accurate ut solet exponit S. Thomas Summae Theologicae I. 2. quaest. XXIV. art. II. „ Circa hanc quaestionem (*utrum omnis passio sit moraliter mala*) diversa fuit sententia Stoicorum et Peripateticorum. Nam Stoici dixerunt omnes passiones esse malas: Peripatetici vero dixerunt passiones moderatas esse bonas. Quae quidem differentia licet magna videatur secundum vocem, tamen secundum rem vel nulla est, vel parva, si quis utrorumque intentiones consideret; Stoici enim non discernebant inter sensum et intellectum, et per consequens nec inter intellectivum appetitum et sensitivum: unde nec discernebant passiones animae a motibus voluntatis, secundum hoc quod passiones animae sunt in appetitu sensitivo, simplices autem motus voluntatis sunt in intellectivo: sed omnem rationabilem motum appetitivae partis vocabant voluntatem: passiones autem dicebant motum progredientem extra limites rationis. Et ideo eorum sententiam sequens Tullius in lib. 5. de Tuscul. quaest. omnes passiones vocat animae morbos; ex quo argumentatur, quod *qui morbosi sunt, sani non sunt; et qui sani non sunt, insipientes sunt*; unde insipientes insanos dicimus. Peripatetici vero omnes motus appetitus sensitivi passiones vocant: unde eas bonas aestimant cum sunt a ratione moderatae, malas autem cum sunt praeter moderationem rationis. Ex quo patet primum quod Tullius in eod. lib Peripateticorum sententiam, qui approbabant mediocritatem passionum, inconvenienter improbat dicens, quod *omne malum, etiam mediocre, vitandum est: nam sicut corpus etiam mediocriter aegrum, sanum non est, sic ista mediocritas morborum vel passionum animae sana non est*. Non enim passiones dicuntur morbi vel perturbationes animae, nisi cum carent moderatione rationis. „

(1) Libri de quo agimus Cap. I.

(2) Ibid. cap. II.

(3) Ibid cap. V.

(4) Ibid. cap. VI.

et omnia a bonis (5) mala removisse. Cum enim Seneca naturam non pati, ut unquam bona bonis noceant, pronunciat, vult non posse Deum in optimos non esse optimum, et calamitates, quibus ipse bonos viros experitur, nihil eis damni afferre, non vero divitias, honores, imperia, alia hujusmodi bona aliquando obesse non posse. Haec namque in bonis a Stoicis non numerabantur: quamquam ea tanti ab ipsis, quanti ab Academicis, ac Peripateticis (6) penderentur. Nec eo magis universos a Deo, quam singulos curari dicit, quod Deus uno actu (7) simplici, et aequali bonitate, ac sapientia quaecumque et ad universos, et ad singulos pertinent, non administret, sed quod majorem (8) universorum, quam singulorum, ut providentissimus universitatis hujus (9) moderator rationem habeat, ideoque ad

---

(5) Vide §. superiorem.

(6) S. Augustinus de Civitate Dei lib. cit cap. IV num. I tom. VII col. 220 „ Hos ... idest „ Stoicos, Cicero in libris de finibus bonorum et malorum, „ verbis magis quam rebus adversus Platonicos seu Peripateticos „ certare convincit: quandoquidem Stoici nolunt bona appellare, sed commoda corporis et „ externa, eo quod nullum bonum volunt esse hominis praeter virtutem, tamquam artem „ bene vivendi, quae nonnisi in „ animo est. Haec autem isti „ simpliciter, et ex communi loquendi consuetudine appellant „ bona; sed in comparatione virtutis, qua recte vivitur, parva, et exigua. Ex quo fit, ut „ ab utrisque quodlibet vocentur, „ seu bona seu commoda, pari „ tamen aestimatione pensentur, „ nec in has quaestione Stoici delectentur, nisi novitate verborum. „

(7) S. Thomas Theologicae Summae part. I. 2. quaest. CXII. art. IV. in quo objecerat sibi illa libri Sapientiae cap. VI. ver. 8. verba: „ Pusillum et magnum ipse (*Deus*) „ fecit, et aequaliter cura est illi „ de omnibus „ respondet: „ Cura „ divina dupliciter considerari potest. Uno modo, quantum ad „ ipsum divinum actum, qui est „ simplex et uniformis. Et secundum hoc aequaliter se habet „ ejus cura ad omnes, quia scilicet uno actu simplici et majora et minora dispensat. Alio „ modo potest considerari ex parte eorum, quae in creaturis ex „ divina cura proveniunt. Et secundum hoc invenitur inaequalitas, in quantum scilicet Deus „ sua cura quibusdam majora, „ quibusdam minora providet „ dona. „

(8) Idem part. I. quaest. XX. art. III. ad I. „ Dicitur Deo *aequaliter esse cura de omnibus*, non „ quod aequalia bona sua cura „ omnibus dispenset, sed quia ex „ aequali sapientia et bonitate „ omnia administrat. „

(9) Ibid. quaest. XXII. art. II. ad 2. „ Aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis,

mortalium omnium institutionem probos viros aerumnis quandoque vexari sinat, praesertim cum probi viri maxima inde commoda percipiant. Neque, cum subdit, quantum cuique restet, prima nascentium hora disponi, mortis nostrae tempus tum primum, cum nascimur, definiri statuit, cum aeternae legis, qua cuncta decurrant, paulo ante meminerit; neque cum addit, non incidere, ut putamus, cuncta sed venire omnes ancipitis eventus causas tollit, sed eas subjicit (10) aeternae legi, quam fatum (11) vocat: quod quidem fatum „ secundum (12)

„ et de provisore universali, quia „ provisor particularis excludit „ defectum ab eo quod ejus curae „ subditur, quantum potest; sed „ provisor universalis permittit ali- „ quem defectum in aliquo par- „ ticulari accidere, ne impediatur „ bonum totius. Unde corruptio- „ nes et defectus in rebus natu- „ ralibus dicuntur esse contra na- „ turam particularem, sed tamen „ sunt de intentione naturae uni- „ versalis. in quantum defectus „ unius cedit in bonum alterius, „ vel etiam totius universi. Nam „ corruptio unius est generatio „ alterius, per quam species con- „ servatur. Cum igitur Deus sit „ universalis provisor totius entis „ ad ipsius providentiam pertinet, „ ut permittat quosdam defectus „ esse in aliquibus particularibus „ rebus, ne impediatur bonum „ universi perfectum. Si enim „ omnia mala impedirentur, mul- „ ta bona deessent universo: non „ enim esset vita leonis, si non „ esset occisio animalium: nec „ esset patientia Martyrum si non „ esset persecutio tyrannorum. „

(10) Vide §. II.

(11) Justus Lipsius de Constantia lib. I. cap. XIX. tom. IV. Operum pag. 392. in adnotatione, quae in margine legitur ad illa verba: *Prisci illi et olim conscripti Patres*, inquit „ Minutius, „ Isidorus Origin. VIII. cap. ult. „ Quin et Thomas Aquinas li- „ bellum de Fato scripsit, et in- „ scripsit. „ At vero Opusculum *de Fato* quod inter Opuscula S. Thomae Aquinatis numeratur XXVIII. ac incipit *Quaeritur de Fato, an sit, et quid sit*, quamquam S. Thomae a Ptolomaeo de Luca, a Bernardo Guidonis a Valleoletano, et a S. Antonino tribuatur, ob causas a Barbavara allatas falso ei adscriptum, aut certe dubium existimatur. Vide cl. Jo. Francisci Bernardi Mariae de Rubeis de Gestis, et Scriptis, ac Doctrina Sancti Thomae Aquinatis Dissertationes Criticas et Apologeticas Venetiis MDCCL. Dissert. XIX. cap. III. num. III pag. 214. seq. De fato tamen agit S. Doctor Theologicae Summae part. I. quaest. CXVI. in qua quidem quaerit art. I. utrum fatum aliquid sit. art. II. utrum sit in rebus creatis, art. III. utrum sit mobile. art. IV. utrum omnia fato subdantur.

(12) S. Thomas Theologicae Summae part I. quaestione indicata in superiori adnotatione art. III.

„ considerationem secundarum causarum mobile est, sed „ secundum quod subest divinae providentiae immobi„ litatem sortitur „ quin tamen omnia, quae eveniunt, ut eveniunt procul dubio, ita (13) necessario eveniant: Nam divina providentia „ quibusdam (14) effectibus prae„ paravit causas necessarias ut necessario evenirent, „ quibusdam vero causas contingentes, ut evenirent con„ tingenter secundum conditionem proximarum causa„ rum; et ideo evenit infallibiliter, et necessario, quod „ divina providentia disponit evenire infallibiliter, et „ necessario: evenit contingenter, quod divina provi„ dentia habet, ut contingenter eveniat. „ Hanc vero legem, cum ab omnium conditore ac rectore, idest a Deo, scriptam fuisse Seneca perhibeat, et a summa Dei perfectione, ac immutabilitate (15) repetat, quod ab illa nec discedat ipse, nec discedere omnino (16) queat,

---

(13) Parte ead. quaest. XXII. art. IV.

(14) Ibid. in respons. ad I.

(15) Seneca in Praefatione lib. I. Naturalium Quaestionum pag. 679. seq. „ Equidem tunc natu„ rae rerum gratias ago, cum „ illam non ab hac parte video, „ quae publica est, sed cum se„ cretiora ejus intravi: cum di„ sco . . . quid sit Deus, totus „ in se intendat, an ad nos ali„ quando respiciat: faciat quo„ tidie aliquid, an semel fece„ rit . . . . liceat illi hodieque de„ cernere, et ex lege fatorum „ aliquid derogare; an majesta„ tis deminutio sit, et confessio „ erroris, mutanda fecisse. Ne„ cesse est enim ei eadem place„ re, cui nisi optima placere non „ possunt: nec ob hoc minus „ liber et potens est; ipse enim est „ necessitas sua. „

(16) S. Thomas Theologicae Summae part. I. quaest. XIX. art. III. „ Aliquid Deum velle, est „ necessarium absolute, non ta„ men hoc est verum de omni„ bus, quae vult: Voluntas enim „ divina necessariam habitudinem „ habet ad bonitatem suam, quae „ est proprium ejus objectum; „ unde bonitatem suam Deus ex „ necessitate vult . . . . Alia au„ tem ex se Deus vult, in quan„ tum ordinantur ad suam boni„ tatem, ut in finem. Ea autem „ quae sunt ad finem, non ex „ necessitate volumus volentes „ finem, nisi sint talia, sine qui„ bus finis esse non potest: si„ cut volumus cibum, volentes „ conservationem vitae; et na„ vem volentes transfretare. Non „ sic autem ex necessitate volu„ mus ea sine quibus finis esse „ potest, sicut equum ad ambu„ landum, quia sine hoc possu„ mus ire: et eadem ratio est in „ aliis. Unde, cum bonitas Dei „ sit perfecta, et esse possit sine „ aliis, cum nihil ei perfectionis „ ex aliis accrescat, sequitur quod „ alia a se eum velle non sit ne„ cessarium absolute; et tamen

consequens est, proprie non esse accipienda ejus verba, quibus fatali necessitate alligari Deum, ac semper parere affirmat. Etenim nulli vel necessitati, vel naturae, qua caelum, maria, terra regantur, obedientem, aut subjectum esse Deum, sed omnem regi ab ipso naturam Stoici (17) tradebant. Postremo Seneca ideo mala omnia divinitus a bonis remota fuisse asserit, quia Deus „ ab „ illis (18) removit scelera et flagitia, et cogitationes „ improbas, et avida consilia, et libidinem caecam, et „ alieno imminentem avaritiam: „ quae sola, ut vidimus, a Stoicis mala appellabantur „ ipsos tuetur ac vindicat, ipsis permisit metuenda contemnere, cupienda „ fastidire, eorumque animos adversus omnia tristia, „ horrenda, dura toleratu armavit „ ita ut ex eorum doctrina vir probus, hoc est sapiens, nunquam (19) peccet, immo ne peccare quidem possit: quod Dogma plane falsum esse, sacrae litterae testantur. „ Non (20) „ est enim homo justus in terra, qui faciat bonum et „ non peccet „ ut inquit Salomon. Quo illud etiam pertinet. „ Quis (21) potest dicere: Mundum est cor

---

„ necessarium est ex suppositio- „ ne. Supposito enim quod ve- „ lit, non potest non velle quia „ non potest voluntas ejus mu- „ tari. „

(17) Lucilius Balbus ex Stoicorum disciplina apud Tullium de natura Deorum lib. II. cap. XXX. tom. II. operum Ciceronis pag. 588. seq „ Aut negandum est Deos „ esse, quod Democritus simu- „ lacra, et Epicurus imagines „ inducens, quodam pacto negat: „ aut, qui Deos esse concedant, „ iis fatendum est, eos aliquid „ agere, idque praeclarum. Ni- „ hil est autem praeclarius Mun- „ di administratione. Deorum igi- „ tur consilio administratur. „ Quod si aliter est, aliquid pro- „ fecto sit necesse est melius, „ et majore vi praeditum quam „ Deos, quale id cumque est, „ sive inanima natura, sive ne- „ cessitas vi magna incitata, haec „ pulcherrima opera efficiens, „ quae videmus. Non est igitur „ natura deorum praepotens, ne- „ que excellens, si quidem ea „ subjecta est ei vel necessitati, „ vel naturae, qua caelum, „ maria, terrae regantur. Nihil „ autem est praestantius Deo. „ Ab eo igitur necesse est Mun- „ dum regi. Nulli igitur est na- „ turae obediens, aut subjectus „ deus. Omnem ergo regit ipse „ naturam. „

(18) Cap. VI.

(19) Vide Justum Lipsium Manuductionis ad Stoicam Philosophiam lib. III. Dissert XV. tom. IV. operum pag. 513.

(20) Ecclesiastis cap. VII. ver. 21.

(21) Proverbiorum cap. XX. ver. 9.

meum, purus sum a peccato? „ Itaque a Sancto Joanne (22) ad deterrendos homines ab arrogantia scriptum est: „ Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi „ nos seducimus, et veritas in nobis non est. „ Et a Jeremia (23) „ Dixisti: Absque peccato et innocens ego „ sum, et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce „ ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non „ peccavi. „ Quorum (24) sententias omnium idem, qui eas eorum ore protulit Christus Dominus petitionis illius *dimitte* (25) *nobis debita nostra* praescripto confirmavit. Id enim secus interpretari prohibuit auctoritas Milevitani (26) Concilii in hunc modum: „ Placuit, ut „ quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere „ sanctos: *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro seipsis „ hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista pe„ titio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccato„ res: et ideo non dicere unumquemque sanctorum, di„ mitte mihi debita mea, sed *dimitte nobis debita nostra*, „ ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere „ intelligatur, anathema sit. Sanctus enim et justus erat „ Apostolus Jacobus, cum dicebat: *in* (27) *multis enim* „ *offendimus omnes*. Nam quare additum est *omnes*, nisi „ ut ista sententia conveniret et psalmo, (28) ubi legi„ tur: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis homo* . . . et in li„ bro Job: *In* (29) *manu omnis hominis signas, ut sciat* „ *omnis homo infirmitatem suam*. Unde etiam Daniel „ sanctus et justus, cum in oratione pluraliter diceret „ *Peccavimus*, (30) *iniquitatem fecimus*, et caetera, quae „ ibi veraciter et humiliter confitetur, ne putaretur,

---

(22) Epistola I. cap. I. ver. 8.
(23) Jeremiae cap. II. ver. 35.
(24) Catechismus Romanus Parte IV. cap. XIV. sect. I. num. 5.
(25) Matthaei cap. VI. ver. 12.
(26) Concilium Milevitanum II. can. VII. Collect. Concilior. edit. cit. tom. III. col. 382.
(27) In Epistola Catholica cap. III. ver. 2.
(28) Psal. CXLII. ver. 2 ubi Vulgata *omnis vivens*.
(29) Job cap. XXXVII. ver. 7. juxta versionem LXX. Interpretum Vulgata „ In manu omnium ho„ minum signat, ut noverint „ singuli opera sua. „
(30) Daniel cap. IX. ver. 7.

„ quemadmodum quidam sentiunt, haec non de suis, „ sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea di- „ xit: *Cum* (31) *orarem, et confiterer peccata mea et* „ *peccata populi mei Deo nostro*: noluit dicere, peccata „ nostra, sed et *populi sui* dixit seu *sua* quia futuros „ istos, qui tam male intelligerent, tamquam prophe- „ ta (32) praevidit. „ Ex quibus duo manant; alterum in mortali hac vita tam justum esse neminem, ut debita non habeat, quae ut sibi dimittantur, oret: alterum, non omnibus peccatis justitiam amitti, atque adeo non omnia peccata esse paria, ut absurde (33) Stoici putabant, quibus aeque peccare videbatur qui parentem, et qui servum injuria verberaret, aut occideret: quamquam in quo peccatur, id posse aliud alio majus esse aut minus, et in servo necando, si adesset injuria, semel peccari, in patris vita violanda multa peccari faterentur, quia violatur is, qui procreavit: is, qui aluit: is, qui erudivit: is, qui in sede ac domo, atque in republica (34) collocavit.

---

(31) Ibid. ver. 20 „ Cumque „ adhuc loquerer, et orarem, et „ confiterer &c. „

(32) Confer Concilii Tridentini Canones allatos in adnot. 13. ad §. IX.

(33) Cicero Paradoxo III. tom. III. operum pag. 517 de Finibus lib. IV. cap. XXVIII. tom. II. pag. 245. et alibi.

(34) Cur Stoici peccata omnia aequalia esse putaverint, et quam aliena a recta ratione sit haec eorum opinio, demonstrat S. Thomas Aquinas in Theologica Summa I. 2. quaest. LXXIII. art II ubi productis in argumento, sed *contra* illis Christi Domini verbis quae in S Joannis Evangelio leguntur cap. XIX ver. II. „ Qui „ me tradidit tibi majus peccatum habet „ in corpore, ut vocant, articuli ait: „ Opinio „ Stoicorum fuit, quam Tullius „ prosequitur in Paradoxis, quod „ omnia peccata sunt paria: et „ ex hoc etiam derivatus est quorumdam haereticorum error, „ qui ponentes omnia peccata „ esse paria, dicunt etiam omnes „ poenas inferni esse pares. Et „ quantum ex verbis Tullii perspici potest, Stoici ducebantur „ ex hoc, quod considerabant „ peccatum ex parte privationis „ tantum, prout scilicet est recessus a ratione; unde simpliciter aestimantes, quod nulla „ privatio susciperet magis et minus, posuerunt omnia peccata „ esse paria. Sed si quis diligenter consideret, inveniet duplex „ privationum genus. Est enim „ quaedam simplex et pura privatio, quae consistit quasi in „ *corruptum esse*; sicut mors est „ privatio vitae, et tenebra est „ privatio luminis: et tales privationes non recipiunt magis „ et minus, quia nihil residuum

Quin etiam ex ipsis sacris litteris discimus non modo justos plurimos culpa sua excidere (35) a justitia, nec eam

---

„ est de habitu opposito; unde „ non mirus est mortuus aliquis „ primo die mortis, et tertio, vel „ quarto, quam post annum, „ quando jam cadaver fuerit re„ solutum: et similiter non est „ magis tenebrosa domus, si lu„ cerna sit operta pluribus vela„ minibus, quam si sit operta „ uno solo velamine totum lu„ men intercludente. Est autem „ alia privatio non simplex, sed „ aliquid retinens de habitu op„ posito; quae quidem privatio „ magis consistit in *corrumpi*, „ quam in *corruptum esse*; sicut „ aegritudo, quae privat debitam „ commensurationem humorum; „ ita tamen quod aliquid ejus „ remaneat, alioquin non rema„ neret animal vivum: et simile „ est de turpitudine, et aliis hu„ jusmodi. Hujusmodi autem pri„ vationes recipiunt *magis et mi*„ *nus* ex parte ejus quod rema„ net de habitu contrario; mul„ tum enim refert ad aegritudi„ nem vel turpitudinem, utrum „ plus vel minus a debita com„ mensuratione humorum vel „ membrorum recedatur. Et si„ militer dicendum est de vitiis „ et peccatis: sic enim in eis „ privatur debita commensuratio „ rationis, ut non totaliter ordo „ rationis tollatur .... non enim „ posset remanere substantia actus, „ vel affectio agentis, nisi ali„ quid remaneret de ordine ra„ tionis. Et ideo multum interest „ ad gravitatem peccati, utrum „ plus vel minus recedatur a re„ ctitudine rationis. Et secun„ dum hoc dicendum est, quod „ non omnia peccata sunt paria.„

(35) Ezechielis cap. XVIII. ver. 24. seqq. „ Si... averterit se ju„ stus a justitia sua, et fecerit „ iniquitatem secundum omnes „ abominationes, quas operari „ solet impius, numquid vivet? „ omnes justitiae ejus, quas fe„ cerat, non recordabuntur: in „ praevaricatione, qua praevari„ catus est, et in peccato suo „ quod peccavit, in ipsis morie„ tur. Et dixistis: Non est aequa „ via Domini. Audite ergo do„ mus Israel: Numquid via mea „ non est aequa, et non magis „ viae vestrae pravae sunt? Cum „ enim averterit se justus a ju„ stitia sua, et fecerit iniquita„ tem morietur in eis; in injusti„ tia, quam operatus est morie„ tur.„ Et cap. XXXIII. ver. 12. seq. „ Justitia justi non liberabit „ eum, in quacumque die pecca„ verit: et impietas impii non „ nocebit ei, in quacumque die „ conversus fuerit ab impieta„ te sua: et justus non poterit „ vivere in justitia sua, in qua„ cumque die peccaverit. Etiam „ si dixero justo quod vita vivat, „ et confisus in justitia sua fece„ rit iniquitatem: omnes justi„ tiae ejus oblivioni tradentur, „ et in iniquitate sua, quam ope„ ratus est, in ipsa morietur.„ Matthaei cap XXIV. ver. 12 seq. „ Quoniam abundavit iniquitas, „ refrigescet caritas multorum. „ Qui autem perseveraverit usque „ in finem hic salvus erit.„ Et Evangelii S. Joannis cap. XV. ver. 6. „ Si quis in me non manserit, „ mittetur foras sicut palmes, et „ arescet, et colligent eum, et „ in ignem mittent, et ardet.„ Itaque Concilium Tridentinum sess. VI. de Justificatione Canone XXIII. inquit. „ Si quis hominem, „ semel justificatum, dixerit am-

recuperare, ac perpetuo perire, ut Saul, (36), ac Judae (37) exempla declarant, sed etiam sanctissimos viros, quos Deus aeternae gloriae suae participes fore decreverat, ut David, (38) ac Apostolorum Principem (39) Petrum gra-

---

„ plius peccare non posse, neque gratiam amittere: atque ideo eum, qui labitur, et peccat, numquam vere fuisse justificatum, anathema sit. „ Et Canone XXVII. „ Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi, et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.„

(36) Regum lib. I. cap. XXXI. ver. 4. et 5. „ Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eum. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. „ Et lib. I. Paralipomenon cap. X. ver. 13. et 14. „ Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod praevaricatus sit mandatum Domini quod praeceperat, et non custodierit illud: sed insuper pythonissam consuluerit. Nec speraverit in Domino: propter quod interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai „

(37) Matthaei cap. XXVII. ver 3. seqq. „ Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, et senioribus, dicens: peccavi, tradens sanguinem justum. At illi, dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit; et abiens laqueo se suspendit. „ Joannis cap. XVII. ver. 12 „ Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis (Judas Iscariotes) ut Scriptura impleatur. „ Et Actor. Apostol. cap. I. ver. 16. seqq. „ Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum: qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera ejus . . . Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: et episcopatum ejus accipiat alter.„

(38) David gravissimis duobus adulterii et homicidii criminibus se polluit. Vide lib. II. Reg. cap. XI.

(39) Catechismus Romanus parte IV. de Sexta petitione cap. XV. num. 3. „ Quod illustrius esse possit humanae infirmitatis exemplum, quam sacer ille chorus Apostolorum, qui magno antea animo cum essent, primo quoque objecto terrore, relicto Salvatore, diffugerunt? „ Et si illustrius etiam est illud „ Principis Apostolorum, qui in

vissime prolapsos illius permissu, ut caelesti ope rursus in ejus gratiam restituti de se submisse et sentirent, et loquerentur, omnia peccandi pericula diligentius caverent, de suis viribus diffiderent, spemque omnem suam in divino auxilio collocarent, ac propterea Deum adsiduis, infimisque precibus interpellarent, omnia sibi ab ejus bonitate pollicerentur, admissa a se flagitia detestari, ac deflere numquam intermitterent, eoque Deum vehementius diligerent, quo se prorsus immerentes aeternisque suppliciis dignos sola ejus misericordia, et benignitate a peccatorum sordibus expiatos, atque in filios, ac caelestis beatitatis (40) haeredes ab illo denuo receptos intelligerent, caeterisque summae in omni vita cautionis adhibendae, moresque pristinos corrigendi, ac pietatis sequendae documenta darent. Quamobrem verissime Sanctus Paulus omnia ipsis bene, ac feliciter cedere denunciavit scri-

---

„ tanta professione singularis et „ fortitudinis, et amoris in Christum Dominum, cum paulo ante, sibi bene fidens, ita dixisset, *Si oportuerit me mori tecum non te negabo:* statim unius „ voce mulierculae perterritus, „ se Dominum non nosse jurejurando affirmavit. Nimirum illi „ in summa spiritus alacritate „ non respondebant vires. Quod „ si viri sanctissimi humanae naturae fragilitate, cui confidebant, graviter peccaverunt; „ quid non timendum est caeteris, qui ab eorum sanctitate „ absunt longissime? „

(40) S. Paulus in epist. ad Romanos cap VIII ver. 17. „ Si.... „ filii et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. „ Ad quae S. Thomas lectione III. in cit. caput pag. 84. seq. „ Primo ostendit quod filiis debetur haereditas dicens: Si autem aliqui filii (per spiritum, scilicet), sequitur etiam quod „ sint haeredes; quia non solum „ filio naturali, sed etiam adoptivo debetur haereditas. 1. Pet. 1. „ *Regeneravit nos in spem vivam in haereditatem*.... Secundo „ ostendit quae sit ista haereditas: „ Et primo describit eam quantum ad Deum Patrem dicens: „ *Haeredes quidem Dei*. Dicitur „ autem aliquis haeres alicujus „ existere, qui principalia ejus „ bona percipit seu adipiscitur.... „ Bonum autem principale quo „ Deus dives est, est ipsemet: „ Est enim dives per seipsum, „ et non per aliquid aliud, qui „ extrinsecorum bonorum non indiget, ut dicitur in psalmo 15. „ Unde ipsum Deum adipiscuntur filii Dei pro haereditate: „ Unde Psal. *Dominus pars haereditatis meae:* Thren. 3. *Pars mea, Dominus, dicit anima mea*.... Secundo describit hanc „ haereditatem ex parte Christi, „ dicens: *Cohaeredes autem Christi:* quia ipse cum sit principalis filius a quo nos filiationem participamus, ita est principalis haeres, cui in haereditate conjungimur. „

bens: „ (41) Scimus . . . quoniam diligentibus Deum „ omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum pro- „ positum vocati sunt Sancti: „ cujus verba in hunc modum Sanctus Thomas Aquinas (42) explicat: „ Quidquid „ fit in Mundo, etiam si malum sit, cedit in bonum uni- „ versi: Quia ut Augustinus dicit in Enchir. (43) cap. II. „ Deus est adeo bonus, quod nihil mali esse permitteret, „ nisi esset adeo potens quod ex quolibet malo posset eli- „ cere aliquod bonum: Non autem semper cedit malum „ in bonum ejus in quo est: Sicut corruptio unius ani- „ malis cedit quidem in bonum universi, in quantum per „ corruptionem unius generatur aliud; non tamen in bo- „ num ejus quod corrumpitur: quia bonum universi est „ a Deo volitum secundum se, et ad ipsum ordinantur „ omnes partes universi. Et eadem ratio esse videtur cir- „ ca ordinem nobilissimarum partium ad alias partes, „ quia malum aliarum partium ordinatur in bonum no- „ bilissimarum. Sed quidquid fit circa nobilissimas partes, „ non ordinatur nisi in bonum ipsarum; quia de eis pro- „ pter se cura habetur, de aliis autem propter ipsas, sicut „ medicus infirmitatem pedis sustinet, ut curet caput. In- „ ter omnes autem partes universi excellunt Sancti Dei, „ ad quorum quemlibet pertinet quod dicitur Matth. „ 24. (44) *Super omnia bona sua constituet eum*: Et ideo „ quidquid accidit vel circa ipsos vel alias res, totum in „ bonum eorum cedit: Ita quod verificatur quod dicitur „ Prov. 11. (45) *Qui stultus est, serviet sapienti*, quia „ scilicet etiam mala peccatorum in bonum justorum ce- „ dunt. Unde et Deus specialem curam de justis habere „ dicitur, secundum illud Psalm. 33. (46) *Oculi Domini*

---

(41) S. Paulus loc cit. ver. 28.

(42) S. Thomas lectione VI in citatum S. Pauli caput pag. 89 seq.

(43) S. Augustinus Enchirid cap. XI. num. 3 tom. VI. col. 159. „ Neque enim Deus omnipotens, „ quod etiam infideles fatentur, „ rerum cui summa potestas, „ cum summe bonus sit, ullo „ modo sineret mali aliquid esse „ in operibus suis, nisi usque „ adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de „ malo. „

(44) Matthaei cap. XXIV. ver. 47.

(45) Proverbiorum cap. XI. ver. 29.

(46) Psalmo XXXIII. ver. 16.

„ *super justos*, in quantum scilicet sic de eis curat, quod
„ nihil mali circa eos esse permittit, quod non in eorum
„ bonum convertat. Et hoc quidem manifestum est quan-
„ tum ad mala poenalia quae patiuntur: Unde in glossa
„ dicitur quod *ipsorum infirmitate exercetur humilitas*,
„ *afflictione patientia*, *contradictione sapientia*, *odio bene-*
„ *volentia*: Unde 1. Petr. (47) *Si quid patimini propter*
„ *justitiam beati*. Sed numquid etiam eis peccata coope-
„ rantur in bonum? Quidam dicunt quod peccata non
„ continentur sub hoc quod dicit *omnia*; quia secundum
„ Augustinum (48) *Peccatum nihil est*, *et nihil fiunt ho-*
„ *mines cum peccant*. Sed contra hoc est quod in glossa
„ sequitur: *Usque adeo talibus Deus omnia cooperatur in*
„ *bonum*, *ut si qui horum deviant et exorbitant*, *etiam*
„ *hoc ipsum eis faciat proficere in bonum*: Unde et in
„ Psal. 36. (49) dicitur, *Cum ceciderit justus non colli-*
„ *detur*; *quia Dominus supponit manum suam*. Sed secun-
„ dum hoc videtur quod semper tales in majori caritate
„ resurgant, quia bonum hominis in caritate consistit,
„ quam si non habeat Apostolus, se nihil esse recogno-
„ scit. 1. Cor. 13. (50) Sed dicendum est quod bonum
„ hominis non solum consistit in quantitate caritatis,
„ sed praecipue in ipsius perseverantia usque ad mortem;
„ secundum illud Matth. 24: (51) *Qui perseveraverit us-*
„ *que in finem hic salvus erit*. Ex hoc autem quod justus
„ cadit, resurgit cautior, et humilior. Unde in glos. sub-
„ ditur postquam dixerat quod hoc ipsum faciat eis in
„ bonum proficere; *quia humiliores redeunt atque doctio-*
„ *res*: *Discunt enim cum tremore se exultare debere*; *non*
„ *sibi arrogando tamquam de sua virtute fiduciam* (52)
„ *permanendi*. „

---

(47) S. Petrus epist. I. cap. III. ver 14.

(48) S. Augustinus in Evangel. S. Joannis ad illa verba cap. I. ver. 3. „ *Sine ipso factum est nihil*. „ tractatu I. num. 13 tom. III. part. II. col. 294. „ Peccatum quidem „ non per ipsum factum est: et „ manifestum est, quia peccatum „ nihil est. „

(49) Psalmo XXXVI. ver. 24.

(50) S. Paulus in Epist. I. ad Corinthios cap. XIII ver. 1 et seqq.

(51) Matthaei cap XXIV ver. 13.

(52) S. Thomas Theologicae Summae 3. part. quaest. LXXXIX.

§. XXI. Haec potissimum habui quae ad Candidatorum praesertim Academiae Catholicae, auspice Pio VII. Pontifice Opt. Max. Dei omnia moderantis (1) nutu in su-

---

art. II. ostendit hominem a peccato divinae gratiae auxilio resurgentem quandoque in majori, quandoque in aequali, quandoque in minori gratia resurgere hac ratione ,, Secundum quod motus ,, liberi arbitrii in poenitentia est ,, intensior, vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur majorem vel minorem ,, gratiam Contingit autem intensionem motus poenitentis ,, quandoque proportionatam esse ,, majori gratiae, quam fuerit ,, illa a qua ceciderat per peccatum; quandoque autem aequali; quandoque vero minori. ,, Et ideo poenitens quandoque ,, resurgit in majori gratia, quam ,, prius habuerat, quandoque autem in aequali, quandoque ,, etiam in minori. Et eadem ratio est de virtutibus, quae ex ,, gratia consequuntur. Confer quae idem sanctus Doctor habet in responsione ad 1. argumentum, et articulo V. ejusdem quaestionis in responsione ad 3. argumentum, et in Librum tertium Sententiarum distinctione XXXI. quaestione 1. Articulo IV

(1 Vide Sanctissimi Domini Nostri VII. Papae VII. breves litteras ad ornatissimum Praesulem, Academiae Catholicae Praesidem, Dominicum Coppolam, Archiepiscopum Myrensem, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarium die XXVI. Januarii MDCCCI. datas, ejusdem Academiae Legibus hoc ipso anno, typis Academicis, hoc titulo *Accademia di Religione Cattolica* vulgatis praemissas. Editus quoque iisdem typis fuit *Elenco degli Accademici, e Candidati dell' Accademia di Religione Cattolica, e degli Officiali del primo triennio*. Jam vero ex indicatis Pontificis Optimi Maximi litteris, et Academiae Legibus educimus 1. Academiae huic inditam a re Catholicae Religionis appellationem: si quidem ipsi propositum est Catholicae Religionis studium promovere, objicemque erroribus, qui cum capitalibus ejusdem dogmatibus pugnant, opponere, atque efficere ne adolescentium, praesertim *saecularium* animi his misere irretiantur. 2. In ea classes duas esse, primam Academicorum, secundam Candidatorum, scilicet petitorum Academici gradus, quem ut assequi, ac sustinere pro dignitate possint, tamquam tyrones ad manum cum Religionis hostibus conserendam exercentur. 3 Neminem sive in Academicorum, sive in Candidatorum ordinem admitti, qui singulari morum probitate non praestet 4. Ad Academici gradum viris dumtaxat magno ingenio, eximia dicendi facultate, et summa Philosophicarum ad minus disciplinarum peritia aditum patere, 5. Ex adolescentibus eos tantum in Candidatorum ordinem cooptari, qui decimum sextum aetatis annum expleverint, et praeclarum suae in optimarum artium, ac disciplinarum, quae libero homine sunt dignae, studia propensionis atque ad eas excolendas habilitatis specimen praebuerint. 6. In publicis Conventibus ab Academicis, quibus disserendi munus defertur, Catholicae Religionis

prema Ecclesiae suae Sede ad Religionem tuendam propagandamque incredibili Patrum Cardinalium consensu, summaque bonorum omnium gratulatione collocato, superiori anno in Romano Archigymnasio optimo sane consilio (2) institutae, eruditionem de Lucii Annaei Senecae libro: *Quare bonis viris multa mala accidant cum sit Providentia*, dissererem. Quo in libro, cum vulgati illius contra divinam Providentiam argumenti a Telamone apud Marcum Tullium Ciceronem (3) uno versu propositi

„ Nam si curent (*Dii homines*) bene bonis sit
„ male malis: quod nunc abest „

primam quidem partem accurate Seneca explicaverit, alteram vix attigerit, nihil enim de ea Lucilius quaesiverat, ante quam manum tollam de tabula, summatim indicem necesse est rationum momenta, quibus majores nostri instructam adversus Dei Providentiam ab improborum felicitate in mortalis hujus vitae cursu querelam repulerunt. Etenim Petrus (4) Baylius, homo ad tene-

---

pronunciata distincte, graviter, copiose, perpetuo sermone demonstrari, vel insana impiorum deliramenta solide, acute, nervose refelli, et quae in superiori Conventu proposita ab Academico oratione continua fuerunt, in proximo a duobus, vel pluribus Candidatis ad commodiorem intelligentiam pro Dialogo accurate reddi. Quamobrem fieri non potest, quin auditores, quam firmis fundamentis Catholica dogmata nitantur, et quam inanibus cavillationibus impugnentur, penitus cognoscant. Itaque hoc institutum cum ad alios, tum ad adolescentes in vera Religione confirmandos, atque ab errore deterrendos plurimum valuit, ac valebit.

(2) Anno MDCCCI. Nonis Februariis in maxima Romani Archigymnasii aula Conventuum Academicorum ingressio celebrata fuit incredibili ex nobilissimis quibusque, ac sapientissimis Ordinibus auditorum frequentia, et gravissimam, eloquentissimamque de Religionis studii necessitate Orationem habuit Clarissimus Academiae Praeses Dominicus Coppola.

(3) De Natura Deorum lib. III. cap. XXXII. tom. II. pag. 653.

(4) Petrus Baylius Dictionnaire Historique et Critique Art. Rufin Remarque C. tom. IV. a Basle MDCCXLI. pag. 100. col. I. „ On „ peut dire que dans tous les „ tems, et dans toutes les na- „ tions, sans excepter ni notre „ siecle, ni le Christianisme, la „ prosperité des méchans a fait

bras omnibus Religionis dogmatibus callide offundendas natus, etsi eam non modo centies fuisse refutatam, sed etiam falso fundamento niti, ac nullius omnino ponderis esse fateatur, pugnat tamen nescio quid speciosi in ea inesse, quo a primis temporibus ad nostra propagata sit, ac licet expulsa tamen usque recurrat, sibique illa palmae inter arbores nobilis verba jure tribuat: *curvata resurgo*; siquidem responsiones, ut aliquo tempore flectatur, efficiunt, verum ipsa se continuo restituit. Itaque ut illam oppositionem refellamus unice (5) ad

---

„ murmurer contre Dieu, et inspiré plusieurs doutes sur la Providence. D'autre côté on a repondu toujours et par tout, a cette objection: puis donc qu' elle n'a jamais cessé de revenir non obstant toutes les Reponses, il faut conclure qu'elle a quelque chose de fort specieux, et je ne sai quelle proportion avec notre entendement qui fait qu'elle y rentre sans nulle peine, l'en chassat-on a coups de fourche. On diroit qu'elle se pourroit attribuer comme la palme ces belles paroles, *curvata resurgo*; les Reponses peuvent bien me faire plier un peu, mais je me redresse tout aussi-tot. Il n'est pas question d' examiner si elle est solide; car il faut etre tres persuadé qu'elle est fausse, qu'elle ne vaut rien „

(5) Ibid. „ La seule Reponse que vous deviez faire a votre difficulté etoit de considerer l'idée vaste et immense de l'etre souverainement parfait, et d'en tirer cette consequence: il est l'Auteur de toutes choses, il les gouverne toutes, il ne se fait donc rien qui ne soit regi et conduit d'une maniere infiniment juste, infiniment admirable. Voila sans doute le bon parti, et la veritable voie de lever les doutes: faites taire la raison; obligez-la d'aquiescer a l'autorité; Dieu l'a dit .... Dieu l'a fait; Dieu l'a permis: cela est donc vrai, et juste, sagement fait, sagement permis. Si vous voulez descendre dans le detail des raisons particulieres, vous n'en verrez jamais la fin, et après mille disputes vous serez contraint de revenir à la raison de l'autorité, à l'idée immense de l'etre souverainement parfait. Mais puis qu'il y faudroit revenir, n'en sortons point, tenons-nous là immobiles, et inebranlables, mettant le doigt sur la bouche, imposant silence à nos petites lumieres, persuadez qu'en ces choses-là le meilleur usage de la raison est de ne point raisonner. „ et col. 2. il faut ... mieux n'entrer point en lice, et dire tout court, il faut croire cela sans raisonner. Dieu l'a dit, cela doit suffire. Ce procedé seroit injuste, si l'etat de la question etoit celui-ci, *Dieu a-t il parlé?* mais il ne l'est point lors qu'on dispute avec des personnes qui reconnoissent l'existence de l'Etre souverainement parfait, et qui se forment des doutes sous pretexte que les gens de bien sont malheureux, et que les mechans prosperent. La seule reponse

ideam numinis infiniti, ac perfectissimi confugiendum: ex qua sequitur quidquid a Deo fit, aut permittitur, juste, sapienterque fieri, aut permitti, imponendumque humanae rationi silentium, ac in sacrarum litterarum auctoritate conquiescendum.

§. XXII. Ego vero illud a Baylio primum quaero, ecqua tandem veri species ad persuadendum idonea in argumentatione, quae ex falsa assumptione concluditur, et nihil ad assensionem extorquendam valet, inesse possit, cumque, eo fatente, ejusmodi sit oppositio ab improborum felicitate ducta, qua ipse fronte hanc nescio quid speciosi ad mentes mortalium capiendas habere jactet, et cum palma comparet, quae nativa vi, statim ac externa vis, qua deprimebatur, cessat, rursus attollitur; nec eam responsionibus ullis, quibus refutata fuit, cessisse praedicet? Quod enim a vetustissimis usque temporibus extiterint, qui improbos felices testimonium contra Dei providentiam dicere aut putaverint, aut certe scriptis prodiderint, argumento non est, ad eam oppugnandam ex malorum prosperitatibus firmam probationem educi. Etenim nulla unquam aetate defuerunt homines, qui (1) pervicacia simillima insaniae id quod falsum esse norant, aut credebant contra id quod verum esse norant, aut credebant, etiam contentiosissime defendere molirentur. Quo sane numero habendi sunt Poetae, ac Philosophi, quorum in hanc rem testimonia Baylius (2) producit, vel a Gaspare (3) Barthio prolata (4) comme-

---

„ qu'il faut faire à ces doutans „ est celle-ci. Vous etes persuadé de l'existence d'une nature „ souverainement parfaite; croiez „ donc qu'elle gouverne toutes „ choses parfaitement bien: car „ si vous ne tiriez pas cette consequence du principe que vous „ admettez, vous ignoreriez les „ premieres regles du sens commun, vous seriez capable de „ raisonner de cette maniere, le „ soleil est incapable de produire les tenebres, donc il les a „ produites „ et pag. 101. „ l'idee „ de l'Etre souverainement parfait leur (aux grans raisonneurs) doit suffire, et leur suffit, quand ils usent bien de „ leur Raison. „

(1) S. Augustinus de Civitate Dei lib. xx. cap. 1. num. 1 tom. VII col. 573.

(2) Baylius loc. cit. pag. 99. seq.

(3) Gaspar Barthius in animadversionibus ad Claudiani in Rufinum lib. 1. edit. Operum Claudiani Hamburgi 1690. pag. 1078. seqq.

(4) Baylius loc. cit. pag. 100.

morat: si non per (5) jocum, in re tam gravi minime ferendum, sive disputandi tantum causa illa (6) dixerunt.

f

,, Barthius a recueilli un très- ,, grand nombre de telles senten- ,, ces, et il n'a pas oublié celles ,, qui se trouvent dans l'Ecriture,, et in marg. indic. (12) ,, Apud ,, Regem Prophetam Psal. 73 et ,, 93 Hiobum cap 23 Habacuc ,, cap. 1. Maleachum cap. 3. *Bar-* ,, *thius ibid. pag.* 1082 ,,

(5) Muretus in Disputatione cit. pag 219 relatis Poetarum quorumdam Ethnicorum Deos aut nullos esse, aut crudeles, aut injustos clamantium, quod aliquid contigisset, contra quam ipsi aequum esse censerent, inquit: ,, At illa ,, quidem levia, et a poetis for- ,, tasse per jocum dicta: etsi ta- ,, les joci nullo modo ferendi vi- ,, dentur. Serio quidem loqui vi- ,, detur apud Aristophanem Chre- ,, mylus, qui se cum pius ac ju- ,, stus esset, et male tamen rem ,, gereret, gravique paupertate ,, premeretur, ac videret interea ,, alios sacrilegos, calumniato- ,, res, improbos divitiis abunda- ,, re, profectum esse dicit ad ,, Apollinem, ut ex eo sciscita- ,, retur, quae ejus rei causa es- ,, set,, sive an ejus filium ad divitias comparandas aliis moribus vivere oporteret. Sic enim Chremylus apud Aristophanem in Comoedia I., quae Pluto inscribitur, actu I. scena I. editionis Aureliae Allobrogum MDCVIII. tom. I. pag. 5. seq.

,, Ego cum vir essem justus, integer et pius,
,, Hactenus in egestate, et summa penuria
,, Aetatem egi, inopem ac miseram....
,, Alii vero nequam homines, scelerati, improbi,
,, Sacrilegi, sycophantae, rabulae, interim
,, Ditescebant ....
,, Interrogaturus igitur, adivi hunc Deum,
,, Ut, qui putabam vitae aerumnosae prope
,, Exhaustam a me esse partem longe maximam:
,, Consulerem eum de filio, quem habeo unicum:
,, An illi expediat permutatis moribus,
,, Esse improbo, male versuto, sani nihil:
,, Nam ad bene vivendum hoc credebam apprime utile.

(6) Ut Cotta qui apud Ciceronem de Natura Deorum lib. III. cap. XXXIX. tom. II. pag. 660. ,, Haec, *inquit*, fere dicere ha- ,, bui de natura deorum, non ut ,, eam tollerem, sed ut intellige- ,, retis, quam esset obscura, et ,, quam difficiles explicatus habe- ,, ret;,, cumque ipsi Lucilius dixisset ibid. cap. XL. ,, Vehemen- ,, tius.... Cotta, tu quidem ,, invectus es in eam Stoicorum ,, rationem, quae de providentia ,, deorum ab illis sanctissime, et ,, providentissime constituta est. ,, Sed quoniam advesperascit, da- ,, bis diem nobis aliquem, ut ,, contra ista dicamus. Est enim ,, mihi tecum pro aris et focis ,, certamen, et pro deorum tem- ,, plis atque delubris, proque ur- ,, bis muris, quos vos, pontifi- ,, ces, sanctos esse dicitis, dili- ,, gentiusque urbem religione, ,, quam ipsis moenibus cingitis. ,, Quae deseri a me, dum quidem ,, spirare potero, nefas judico;,, reposuit ,, Ego vero et opto re- ,, dargui me, Balbe; et ea, quae ,, disputavi, disserere malui, ,, quam judicare; et facile me a ,, te vinci posse, certo scio.,,

Nam divinitus afflati scriptores, qui scrupuli ab adversis justorum, secundisque injustorum rebus sibi, aut aliis quandoque injecti mentionem faciunt, scrupulum ipsum continuo ex omnium animis evellunt, ut ex eorum locis a Baylio citatis constat. David (7) enim proposita dubitatione quam ei, aliisque improborum prosperitates, ac proborum aerumnae afferebant, eam ex poenis, quas

(7) David enim Psalmo LXXII. non ut Barthius et ex eo Baylius citat LXIII. cum dixisset ver. 2. et seqq. „ Mei autem pene moti „ sunt pedes; pene effusi sunt „ gressus mei. Quia zelavi super „ iniquos, pacem peccatorum vi- „ dens. Quia non est respectus „ morti eorum; et firmamentum „ in plaga eorum. In labore ho- „ minum non sunt, et cum ho- „ minibus non flagellabuntur. „ tum ver. 11 et seqq. „ Dixerunt; „ quomodo scit Deus, et si est „ scientia in excelso? Ecce ipsi „ peccatores, et abundantes in „ saeculo, obtinuerunt divitias. „ Et dixi; ergo sine causa justi- „ ficavi cor meum, et lavi inter „ innocentes manus meas? Et fui „ flagellatus tota die, et casti- „ gatio mea in matutinis „ ver. 16. et seqq. subdit „ Existima- „ bam ut cognoscerem hoc, la- „ bor est ante me. Donec intrem „ in sanctuarium Dei; et intel- „ ligam in novissimis eorum. „ Verumtamen propter dolos po- „ suisti eis, dejecisti eos dum „ allevarentur. Quomodo facti „ sunt in desolationem subito de- „ fecerunt: perierunt propter ini- „ quitatem suam. Velut somnium „ surgentium Domine, in civita- „ te tua imaginem ipsorum ad „ nihilum rediges. „ Vide S. Augustini in hunc Psalmum enarrationem, maxime num. 23. seqq. tom. IV. col. 763. seqq., et Casti Innocentis Ansaldi Ord. Praed *De futuro saeculo ab Haebreis ante captivitatem cognito adversus Joannis Clerici cogitata* Commentarium inscriptum clarissimo praeclarissimoque viro Bonaventurae Luchio in Patavina Academia sacrarum literarum interpreti, ac Mediolanensis Provinciae Ord. Min. S. Francisci Conventualium Provinciali Ministro et Commissario Generali, Patruo Emin. et Reverendis D. Michaelis Angeli Luchi Ord. S. Benedicti Congr. Cassinensis a Pio VII. Pont. Max. in S. R. E. Cardinalium Collegium hoc ipso anno maximis suis meritis cooptati, Mediolani MDCCXLVIII. § XLIX. pag 237. seqq. Psalmo quoque XCI. perpetuum impiorum interitum, hoc est aeternas poenas quibus impii cruciabuntur indicat, inquiens ver 6. et seqq. „ Quam magnifi- „ cata sunt opera tua, Domine! „ nimis profundae factae sunt co- „ gitationes tuae. Vir insipiens „ non cognoscet: et stultus non „ intelliget haec. Cum exorti fue- „ rint peccatores sicut foenum: „ et apparuerint omnes, qui ope- „ rantur iniquitatem. Ut inter- „ eant in saeculum saeculi: Tu „ autem Altissimus in aeternum „ Domine. Quoniam ecce inimi- „ ci tui, Domine, quoniam ecce „ inimici tui peribunt: et disper- „ gentur omnes, qui operantur „ iniquitatem. „ Psalmo autem XCII nihil habet quod ad rem, de qua agitur, pertineat. Psalmum vero XCIII. claudit his verbis ver. 23. „ Reddet (*Deus*) illis „ (*peccatoribus*) iniquitatem ipso-

demum impii luunt, atque ex beatitate, quam pii adipiscuntur, facilem explicatum habere profitetur; idemque Job, (8) Habacuc, et Malachias testantur.

§. XXIII. A Baylio deinde rogo, cum ipse ad omnes de divina Providentia dubitationes tollendas ab homine, qui recte sua ratione utatur, satis esse ideae numinis infinite perfecti considerationem (1) statuat, qua constantia, nescio quos nobis Anicii Manlii Torquati Severini Boethii librorum de Consolatione Philosophiae lectores (2) obtrudat, qui latum inter Auctoris hujus oppo-

f 2

„ rum: et in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.„

(8) Job. cap. xxi. descripta ver. 7. et seqq. temporanea impiorum in hac vita prosperitate, subdit ver. 16 seqq. „ Quia non sunt in „ manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me. „ Quoties lucerna impiorum extinguetur et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui? Erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla „ quam turbo dispergit. Deus servabit filiis illius dolorem patris: et cum reddiderit, tunc „ sciet. Videbunt oculi ejus interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet. „ Habacuc cap. II. ver. 4. „ Ecce qui „ incredulus est, non erit recta „ anima ejus in semetipso: justus „ autem in fide sua vivet, „ Vide reliqua. Malachias cap. III. ver. 14. et seqq. „ Dixistis: Vanus „ est, qui servit Deo et quod „ emolumentum quia custodivimus praecepta ejus, et quia „ ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc „ beatos dicimus arrogantes: siquidem aedificati sunt facientes „ impietatem: et tentaverunt „ Deum, et salvi facti sunt. Tunc „ locuti sunt timentes Dominum, „ unusquisque cum proximo suo: „ Et attendit Dominus, et audivit: et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus „ Dominum, et cogitantibus nomen ejus. Et erunt mihi, ait „ Dominus exercituum, in die „ qua ego facio, in peculium: „ et parcam eis, sicut parcit vir „ filio suo servienti sibi. Et convertimini, et videbitis quid sit „ inter justum et impium: et „ inter servientem Deo, et non „ servientem ei. „ Confer caput IV.

(1) Vide adnot. 5. ad §. superiorem.

(2) Baylius loc. cit. pag 101. „ J'ai connu des gens qui avoient „ lu plusieurs fois la Consolation „ de Boëce, et qui demeuroient „ fort surpris de la difference qu'ils „ avoient toujours remarquée entre les objections et les reponses de cet Auteur. Boëce etoit „ tout ensemble un habile Philosophe, et un grand homme de „ bien. Accablé du poids enorme „ de sa disgrace, et l'ame plongée dans la tristesse, il suppose „ que la Philosophie le vient consoler. Il lui fait plusieurs objections sur la Providence: elle repond tout de son mieux, mais „ au lieu que les difficultez de „ Boëce sont à la portée des esprits les moins pénétrans, et „ qu'elles percent de leur vive

sitiones, responsaque discrimen magnopere mirati erant, et Boethii de divina Providentia difficultates non satis perspicue ad hominum minus praesertim acutorum, perspicaciumque captum a Philosophia enodatas fuisse putaverant, ajebantque suam a Philosophia diffidentiam non celari; eam fere semper petere, ut sibi circuitionibus uti, altioraque scandere liceat; ut solida esse queant, quae ipsa venditat, mentis nostrae infirmitate fieri, ut nihil aliquando percipiamus, et siquidem nos illa convincit, nulla ut plurimum luce ab ea nos illustrari. Quasi nempe Philosophia aut existere supremum aliquod numen praestantissimae naturae, qua nihil melius excogitari possit, ab eoque mundum administrari ad evidentiam non (3) demonstret, aut has in Consolatione sua notiones in Boethii memoriam non revocet, quibus perceptis, Baylio ipso vade, nemini sanae mentis dubitare fas est quin omnia et singula quae in mundo fiunt sapientissimo, justissimoque Dei consilio, decretoque fiant; ex quo oritur, ut nullum esse sive de bonorum aerumnis, sive de malorum prosperitatibus conquerendi locum fateri quisque cogatur. Atqui Philosophia Boethium continuato (4) dolore, ut Boethii ejusdem verbis utar, delatrantem „ posse (5)... contra innocentiam, quae scele-

---

„ lumiere les entendemens les „ plus sombres, on n'a pas trop „ de l'attention la plus recueillie, „ et de la vivacité la plus prompte, pour comprendre quelque „ chose dans les solutions. La „ Philosophie ne peut cacher sa „ défiance, elle demande presque „ toujours qu'on lui permette les „ circuits, et de remonter plus „ haut; et quelque solide que „ puisse être ce qu'elle debite, „ le malheur de notre esprit veut „ qu'on n'y comprenne quelquefois rien: si elle nous convainc, c'est presque toujours „ sans nous éclairer. „

(3) Vide Scriptores a Joanne Alberto Fabricio indicatos in Delectu argumentorum et Syllabo Scriptorum veterum recentiumque, qui adversus Atheos, Epicureos, Deistas, seu Naturalistas, Idololatras, Judaeos et Muhamedanos veritatem Religionis Christianae asseruerunt capitibus praesertim 12. 14. et 17. in quo pag. 414. recenset librum Senecae *cur bonis viris mala fiant cum sit Providentia ad Lucilium Epicureum*. Confer Valsecchium, et alios, qui aetate nostra pro causa Religionis tuenda egregia opera vulgarunt.

(4) Anicii Manlii Torquati Severini Boethii de Consolatione Philosophiae Patavii CIƆIƆCCXXI. typis Josephi Comini lib. I. Prosa V. pag. 15 „ Haec ubi continuato dolore delatravi &c. „

(5) Ibid. Prosa IV. pag. 12.

„ ratus quisque conceperit inspectante Deo monstri si-
„ mile est „ precantemque

„ O jam (6) miseras respice terras,
„ Quisquis rerum foedera nectis.
„ Operis tanti pars non vilis
„ Homines, quatimur fortunae salo.
„ Rapidos, rector, comprime fluctus,
„ Et quo caelum regis immensum,
„ Firma stabiles foedere terras:

consolatura, ab eo petit: „ Hunccine (7)... mundum „ temerariis agi, fortuitisque casibus putas? an ullum „ credis ei inesse regimen rationis? „ Cumque Boethius respondisset „ Atqui... nullo existimaverim modo, ut „ fortuita temeritate tam certa moveantur. Verum operi „ suo conditorem praesidere Deum scio: nec umquam „ fuerit dies qui me ab hac sententiae veritate (8) de„ pellat: „ Philosophia (9) vehementer admiratur, cur ipse in tam salubri sententia locatus aegrotet, aitque (10) habere se *maximum* ejus *fomitem salutis*, *veram de Mundi gubernatione sententiam*, *quod eam* ipse *non casuum temeritati*, *sed divinae rationi subditam* credat, eumdemque hortatur, ut nihil pertimescat: fore namque, ut *ex illa minima scintillula vitalis calor* illuceat. Igitur etsi

(6) Ibid. Metro V. pag. 15.

(7) Ibid. Prosa VII. pag 18.

(8) Pag. ead Hoc ipsum confirmat lib. III. Prosa XII. pag. 70. ubi etiam rationes affert, quibus administrari a Deo Mundum putat, inquiens: „ Mundus hic ex „ tam diversis contrariisque par„ tibus in unam formam minime „ convenisset, nisi unus esset qui „ tam diversa conjungeret; con„ juncta vero naturarum ipsa di„ versitas, invicem discors, dis„ sociaret, atque divelleret; nisi „ unus esset qui quod nexuit, „ contineret. Non tam vero cer„ tus naturae ordo procederet, „ nec tam dispositos motus, lo„ cis, temporibus, efficientia, „ spatiis, qualitatibus explicaret, „ nisi unus esset qui has muta„ tionum varietates manens ipse „ disponeret. Hoc quidquid est, „ quo condita manent, atque agi„ tantur, usitato cunctis voca„ bulo Deum nomino. „

(9) Pag. ead.

(10) Pag. 19. „ Habemus ma„ ximum tuae fomitem salutis, „ veram de Mundi gubernatione „ sententiam, quod eam non ca„ suum temeritati, sed divinae „ rationi subditam credis. Nihil „ igitur pertimescas. Jam tibi ex „ hac minima scintillula vitalis „ calor illuxerit. „

argumenta et gravissima, et perspicua (11) afferat, ex quibus efficitur, *nec opibus* (12) *sufficientiam, nec regnis potentiam, nec reverentiam dignitatibus, nec celebritatem gloriae, nec laetitiam voluptatibus posse contingere*; hominis beatitudinem in nullo creato bono, sed in Dei adeptione (13) constitutam; semper quidem potentes (14) bonos esse, malos vero abjectos semper, atque imbecilles; nec sine poena (15) unquam esse vitia, nec sine praemio virtutes; bonis felicia, malis semper infortunata contingere: infeliciores malos, cum cupita perfecerint, quam si ea, quae cupiunt, implere non possint; infeliciores item eos, qui faciunt, quam qui patiuntur injuriam; homines probitate ultra hominem provehi, improbitate ab humana conditione dejectos infra hominis meritum detrudi, et cum in divinam conditionem transire non possint, verti in (16) belluas: omnemque

---

(11) Lib. II. Prosa V. et seqq. pag 31. seqq. et lib III. Prosa II. seq. pag. 45. seqq.

(12) Lib. eod. Prosa IX. pag. 57. seq.

(13) Prosa ead pag. 58. seqq.

(14) Lib. IV. Prosa I. pag. 76. Vide Prosas sequentes pag 77. seq.

(15) Huc pertinent illa Ciceronis Paradoxo II. Operum Cicer. tom. III. pag. 516. seq. „ Te miseriae, te aerumnae premunt, „ qui te beatum, qui te florentem putas: tuae libidines te „ torquent: tu dies noctesque „ cruciaris; cui nec sat est, quod „ est, et id ipsum, ne non sit „ diuturnum times: te conscientiae stimulant maleficiorum tuo„ rum: te metus exanimant ju„ diciorum atque legum quocum„ que adspexisti, ut furiae, sic „ tuae tibi occurrunt injuriae, „ quae te respirare non sinunt „ Confer quae de Dionysio Syracusanorum Tyranno Tullius idem Tusculanarum Quaestionum lib. V. cap. XX et XXI narrat tom. II. pag. 479. seqq. et S. Prosperum Aquitanum Sententiarum ex Operibus S. Augustini Hipponensis Episcopi delibatarum Sententia CXCII. alias CXCI. Operum S. Prosperi edit. Venetae MDCCXLIV. pag. 331. ubi: „ Nullae, *ait*, poenae „ graviores sunt, quam malae „ conscientiae. „

(16) Boethius lib. cit. Prosa III. pag. 84. „ Necesse est, ut quos „ ab humana conditione dejecit, „ infra hominis meritum detru„ dat improbitas. Evenit igitur, „ ut quem transformatum vitiis „ videas, hominem existimare non „ possis. Avaritia fervet aliena„ rum opum violentus ereptor? „ Similem Lupi dixeris. Ferox, „ atque inquietus linguam litigiis „ exercet? cani comparabis. In„ sidiator occultis surripuisse frau„ dibus gaudet? vulpeculis exae„ quetur. Irae intemperans fre„ mit? leonis animum gestare „ credatur Pavidus ac fugax non „ metuenda formidat? cervis si„ milis habeatur. Segnis, ac stu„ pidus torpet? asinum vivit. „ Levis, ac inconstans studia per-

fortunam vel jucundam, vel asperam *cum* (17) *remunerandi, exercendive bonos, tum puniendi, corrigendique improbos* causa deferatur in bonis numerandam, in illo tamen maxime insistit, illud potissimum urget, summum (18) Deum, summi perfectique boni plenissimum, et qui malum (19) efficere nequeat, *per bonum cuncta disponere* (siquidem per se *regit omnia, et bonitatis clavo gubernat*) et ex *alta providentiae specula* (20) respicere, *quid unicuique conveniat*, agnoscere, et *quod convenire novit*, accommodare, et cum bonus mundum rector temperet, non dubitandum, quin (21) *recte cuncta*

„ mutat? nihil ab avibus differt. „ Foedis immundisque libidinibus „ immergitur? sordida suis voluptate detinetur. Ita fit ut qui „ probitate deserta, homo esse „ desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, „ vertatur in belluam.„

(17) Lib. eod. Prosa VII. pag. 99.

(18) Lib. III. Prosa X pag 62.

(19) Lib. eod. Prosa XII. pag. 72. Malum nempe culpae, non poenae de qua illa sunt Isaiae cap. XLV. ver. 6. et 7. „ Ego Do„ minus et non est alter, for„ mans lucem et creans tenebras, „ faciens pacem, et creans ma„ lum: „ et Amos cap. III. ver. 6. „ Si erit malum in civitate „ quod Dominus non fecerit:„ Nam mali poenae auctor est Deus, sicut, et mali, quod in corruptione rerum consistit, quorum utrumque bonum est, quatenus alterum ad hujus rerum universitatis perfectionem confert, alterum vel utile est, vel justum. Qua de re audiendus S. Thomas, qui Summae Theologicae parte I. quaest. XLIX. art. II. ubi „ ma„ lum quod in defectu actionis „ consistit vel quod ex defectu „ agentis causatur, non reduci„ tur in Deum sicut in causam; „ et hoc patet tam in naturali„ bus, quam in voluntariis. Di„ ctum est enim, quod aliquod „ agens in quantum sua virtute „ producit aliquam formam ad „ quam sequitur corruptio et de„ fectus, causat sua virtute illam „ corruptionem et defectum. Ma„ nifestum est autem, quod forma „ quam principaliter Deus inten„ dit in rebus creatis, est bonum „ ordinis universi: Ordo autem „ universi requirit . . . . quod „ quaedam sint quae deficere pos„ sint, et interdum deficiant; Et „ sic Deus in rebus causando bo„ num ordinis universi, ex con„ sequenti et quasi per accidens „ causat corruptionem rerum, „ secundum illud quod dicitur I. „ Reg. 2. *Dominus mortificat et* „ *vivificat*. Sed quod dicitur Sa„ pient. I. quod *Deus mortem* „ *non fecit*, intelligitur quasi per „ se intentam. Ad ordinem au„ tem universi pertinet etiam or„ do justitiae, qui requirit ut „ peccatoribus poena inferatur: „ Et secundum hoc Deus est au„ ctor mali quod est poena; non „ autem mali quod est culpa.„

(20) Lib. IV. Prosa VI. pag. 95.

(21 Lib. eod. Prosa V. pag. 9 . „ Nec mirum . . . si quid ordinis „ ignorata ratione temerarium „ confusumque credatur. Sed tu „ quamvis causam tantae dispo„ sitionis ignores, tamen quo-

fiant. Quare, cum Philosophia Boethio de Providentia Dei erga homines conquerenti ideam perfectissimi numinis totam hanc rerum universitatem per se administrantis objecerit, quae idea, Baylio sponsore, ad omnes de Providentia dubitationes tollendas hominibus, qui recte ratione utantur, valet, facile colligitur quam turpi, et Philosopho, (22) Criticoque prorsus indigna praevaricatione ipse recitata Boethiani operis de Consolatione Philosophiae Lectorum, quos nominare non audet, sensa, dictaque ingerat, ut insinuet productas ab impiis contra divinam Providentiam difficultates, eam in primis, quae a proborum calamitatibus, et improborum felicitate educitur, humanae rationis ope plane expediri non posse, quorum sensa, dictaque si probentur, illud quoque concidit quod Baylius paulo ante de idea numinis infinite perfecti mundum universum moderantis constituerat. Nam illi ne hac quoque notione posita satis a Philosophia explicatas Boethii de Providentia dubitationes contendunt: quo pacto se, Baylii ejusdem judicio, insanisse declarant. Etenim insaniat oportet, qui cum omnia, quae in mundo eveniunt, justissima, sapientissimaque Dei voluntate contingere fateatur, nihilominus aliqua accidere pugnet, quae cum Dei justitia, sapientiaque componi nullo modo possint.

§. XXIV. Demum a Baylio sciscitor, cur ad refellendam divinae Providentiae oppugnatorum argumentationem, quae improborum quorumdam (nec enim improbis omnibus bene in hac etiam vita est, sicut nec probis (1) omnibus male) felicitate nititur, rationem nul-

---

„ niam bonus mundum rector „ temperat, recte fieri cuncta ne „ dubites. „

(22) In ipsa Dictionarii ab se editi inscriptione Baylius sibi et Philosophi, et Critici personam imponit.

1 Utriusque causam gravissimam affert S. Augustinus de Civitate Dei lib. I. cap. VIII. num. I., et 2. Tom. VII. col. 8. inquiens: „ Placuit... divinae providentiae „ praeparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti: et mala impiis, quibus „ non excruciabuntur boni. Ista „ vero temporalia bona et mala „ utrisque voluit esse communia; „ ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere

Iam praeter illam, quae ex numinis infinite perfecti notione eruitur afferri velit? Ne, inquit, divinae Providentiae obloquutoribus respondendi, ac disputationis in perpetuum tempus producendae occasio (2) detur. O praeclaram causam, ad quam si ut ad regulam nostras cum Religionis hostibus disputatìones dirigamus, nulla omnino ad eos confutandos, convincendosque ratio producenda erit, atque adeo ne ulla quidem cum ipsis concertatio ineunda! Nam quae tandem tam firma, tamque perspicua sive ad existentiam Dei, sive ad ejus Providentiam, sive ad animorum humanorum immortalitatem, sive ad alia Religionis dogmata, quae humana vi investigari, percipique possunt, evincenda, vel a veteribus Philosophis, vel a Catholicae Ecclesiae Patribus excogitata ratio fuit, quam impietatis Patroni, Baylius praesertim omni cavillationum genere non oppugnaverint, atque ab se infirmatam fuisse, eversamque mendacissime (3) non vociferentur? Sed bene habet, quod egregii Re-

---

„ cernuntur; nec mala turpiter „ evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur .... Ostendit tamen Deus saepe etiam in „ his distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc „ omne peccatum manifesta plecteret poena, nihil ultimo judicio servari putaretur: rursus „ si nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla „ esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima „ largitate concederet, non ad „ eum ista pertinere diceremus: „ itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter „ talia praemia serviendum illi „ esse arbitrarentur; nec pios „ nos faceret talis servitus, sed „ potius cupidos et avaros. „

(2) Baylius loc. cit. pag. 100. „ Pour faire mieux comprendre „ qu'il s'en faut tenir à cette „ courte reponse, et à ce principe géneral de l'existence de „ Dieu, je m'en vais montrer à „ quoi l'on s'expose, quand on „ veut descendre au detail des „ raisons particulieres. Premierement, il est sur qu'en ce cas-là „ l'on est obligé de suivre „ un homme dans ses repliques, „ jusques à ce qu'on le puisse „ païer d'une raison a quoi il „ n'ait rien a opposer de raisonnable; ce sont les loix de la „ dispute, comme je l'ai remarqué ci-dessus. En second lieu, „ il est sur que vos raisons particulieres seront combattues à „ l'infini, par d'autres raisons „ également specieuses pour le „ moins. „

(3) Baylius ibid pag. 101. „ Il „ (Sextus Empiricus) allegue l'argument que Lactance a mieux „ rapporté, que refuté. Voïez „ ci-dessus l'Article Pauliciens, „ Remarque (E), Citation 16. „

ligionis vindices contortis, aculeatisque illorum sophismatibus explicatis, fraudibusque, et fallaciis omnium oculis, odioque subjectis, quam vana haec eorum gloriatio sit, jamdudum patefecerunt. Itaque magna sane cura liberatus, causas, quibus in hujus vitae cursu improbos plerosque a Deo opibus, divitiis, dignitatibus, imperio, aliisque hujusmodi bonis augeri majores nostri existimarunt, paucis complectar. Prima est, ut clarius pateat, quanta sit bonitas, ac (4) benignitas Dei qui non statim meritas de peccatis in illum admissis poenas repetit, quod si faceret jamdiu genus nostrum de medio sublatum (5) fuisset, sed peccatores sustinet in multa patientia, immo non solum communibus ceteris mortalibus, sed etiam peculiaribus donis cumulat, ut eos ad poenitentiam adducat, aut cum severius punit, justissime (6)

At quam falso hoc de Lactantio jactet, ostendit Thomas Maria Cerbonius Theologiae Naturalis lib. II. quaest. IV. art II in Schol. ad Proposit. pag 182. seq. Mitto alia vanae Baylii gloriarionis exempla, quae afferre maximo numero possem.

(4) S. Paulus in epist. ad Romanos cap. II ver. 4. et seqq „ An „ divitias bonitatis ejus, et pa„ tientiae, et longanimitatis con„ temnis? ignoras quoniam be„ nignitas Dei ad poenirentiam te „ adducit? Secundum autem du„ ritiam tuam, et impoenitens „ cor, thesaurizas tibi iram in „ die irae, et revelationis justi „ judicii Dei, qui reddet unicui„ que secundum opera ejus: „ Vide S. Thomam lect. I. in hoc caput.

(5) S Joannes Chrysostomus, sive Auctor homiliarum sex de Fato et Providentia S. Joanni Chrysostomo adscriptarum Oratione IV. tom. II. Operum S. Joannis Chrysostomi pag. 765. „ Si ab unoquo„ que statim a peccatis admissis „ poena daretur jamdiu genus „ nostrum de medio sublatum „ fuisset. *Quis enim gloriabitur „ se purum habere cor, aut quis „ confidenter dicet se purum esse „ a peccatis?* „ Proverbiorum cap. XX ver. 9 ubi Vulgata: „ Quis „ potest dicere: Mundum est cor „ meum, purus sum a peccato? „

(6 Idem Oratione V. tom. eod. pag. 772. „ Cur . . . improbus ille „ ditescit, hic vero probus pau„ per est? Ut et hic majorem „ accipiat coronam, si ista per„ ferat, et patientia utatur; ille „ vero majus supplicium atque „ poenam, nisi vitam mutaverit, „ nisi melior fuerit, nisi Domi„ num suum agnoverit. Dilatio „ enim a Deo data, eos qui in „ nequitia manent magis depri„ mit, atque rerum copia, iis „ data, qui illa ut par est non „ utuntur, accessio culpae effici„ tur. „ Quo etiam spectant quae habet S. Ambrosius de Officiis Ministrorum lib. I. cap. XVI num 62. seq tom. III Operum edit. Venetae MDCCLI. col. I. „ Expecta, ut ve„ niat quod perfectum est; quan„ do non per speciem in aenigma-

punire videatur. Altera, ut homines illius exemplo sibi proposito inimicos, a quibus odio habentur, ac laeduntur, omnibus caritatis, benevolentiaeque officiis complectantur. Quo sane pertinent illa Christi Domini apud Sanctum Matthaeum (7) verba: „ Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate pro „ persequentibus, et calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri „ facit super bonos et malos, et pluit super justos et „ injustos. „ Tertia, ut Deus improbis, qui propter admissa scelera, obfirmatumque in flagitiis animum aeternis suppliciis addicendi sunt, pro bonis operibus, sine quibus (8) difficillime vita cujuslibet pessimi hominis in-

„ te, sed facie ad faciem formam „ ipsam redopertae veritatis possis agnoscere. Tunc qua causa „ ille dives fuerit, qui erat improbus et raptor alieni, qua „ causa potens alius, qua „ causa ille abundaverit liberis, „ ille fultus honoribus revelabitur. Fortasse ut dicatur raptori: Dives eras, qua causa aliena rapiebas? Egestas non compulit, inopia non coegit. Nonne ideo te divitem feci, ut excusationem habere non possis? „ Dicatur etiam potenti; Cur „ non adfuisti viduae, orphanis „ quoque injuriam patientibus? „ Numquid tu infirmus eras? „ Numquid non poteras subvenire? Ideo te feci potentem, ut „ non inferres violentiam, sed „ repelleres. Non tibi scriptum „ est: *Eripe injuriam accipientem?* Non tibi scriptum est: „ *Pauperem, et egenum de manu* „ *peccatoris liberate?* Dicatur „ etiam abundanti; Liberis, et „ honoribus cumulavi te, salubritatem corporis concessi tibi; „ cur non sequutus es praecepta „ mea? Famule meus quid feci „ tibi, aut quid contristavi te? „ Nonne ego tibi liberos dedi, „ honores contuli, salutem donavi; cur me negabas? Cur „ aestimabas quod ad scientiam „ meam quae geteres non pervenirent; cur tenebas dona mea, „ despiciebas mandata mea? Denique de Juda proditore haec „ colligere licet, qui et Apostolus inter duodecim electus est, „ et loculos pecuniarum quas pauperibus erogaret commissos habebat; ne videretur aut quasi „ inhonorus, aut quasi egenus „ Dominum prodidisse. Et ideo „ ut justificaretur in eo Dominus „ haec ei contulit; ut non quasi „ injuria exasperatus, sed quasi „ praevaricatus gratiam, majori „ esset offensae obnoxius. „

(7) Matthaei cap. v. ver. 44. et 45.

(8) S. Prosper in lib. cit. Sententiarum Sententia XLVI. pag. 320. „ Sicut non impediunt ab aeterna „ vita justum quaedam peccata „ venialia, sine quibus haec vita „ non ducitur; sic ad salutem „ aeternam nihil prosunt impio „ aliqua bona opera, sine quibus „ difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. „ Hac

venitur, praemia pro summa sua justitia persolvat. Qua ratione Aegyptiis obstetricibus (9) prolem, opesque, et Regi Babylonis ejusque exercitui Aegypti regnum a Deo mercedis loco (10) datum sacrae litterae prodiderunt, et Romanis tam potens, ac late patens Imperium divinitus concessum Sanctus Augustinus (11) docuit. Quar-

---

porro causa temporaneis bonis augeri malos a Deo tradit S. Joannes Chrysostomus in Epistolam ad Hebraeos Homilia v. num. 4. tom. xii. pag. 57. „ Quando . . . viderimus sceleratum divitem, ne „ animo concidamus. Quando viderimus bonum male patientem, ne conturbemur. Nam „ illic sunt coronae, illic supplicia. Alioquin autem fieri non „ potest, ut et malus sit omni „ ex parte malus, sed potest „ ipse quoque habere bona aliqua: neque ut bonus sit omni „ ex parte bonus, sed potest „ etiam ipse habere aliqua peccata. Quando ergo rem suam „ bene gerit sceleratus, scito hoc „ evenire in malum ejus capitis. „ Ut enim paucorum illorum hic „ accepta remuneratione, illic deinde perfecte puniatur, ea de „ causa hic accipit. Et ille est „ maxime beatus qui hic punitur, ut omnibus depositis peccatis, probatus hinc abeat, et „ purus et nulli culpae affinis. „

(9) Exodi cap. 1. ver. 20. et 21. „ Bene . . . fecit Deus obstetricibus . . . . et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis „ domos: „ hoc est eas prole opibusque auxit, ut Interpretes exponunt. Vide Du-Hamel in cit. caput adnot. l et k.

(10) Ezechielis cap. xxix. ver. 18. seqq. „ Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: „ omne caput decalvatum, et „ omnis humerus depilatus est: „ et merces non est reddita ei, „ neque exercitui ejus de Tyro „ pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. Propterea haec „ dicit Dominus Deus: Ecce ego „ dabo Nabuchodonosor regem „ Babylonis in terra Aegypti, et „ accipiet multitudinem ejus, et „ depraedabitur manubias ejus, „ et deripiet spolia ejus; et erit „ merces exercitui illius, et operi, „ quo servivit adversus eam: dedi „ ei terram Egypti, pro eo quod „ laboraverit mihi, ait Dominus „ Deus. „

(11) S. Augustinus de Civitate Dei lib. v. cap. xv. tom. vii. col. 131. „ Quibus (Romanis) non „ erat Deus daturus vitam aeternam cum sanctis Angelis suis „ in Civitate sua caelesti, ad cujus societatem pietas vera perducit, quae non exhibet servitutem religionis . . . . nisi uni „ vero Deo; si neque hanc eis „ terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non „ redderetur merces bonis artibus „ eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus „ enim, qui propter hoc boni „ aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam „ Dominus ait, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam*. Sic „ et isti privatas res suas pro re „ communi, hoc est republica, „ et pro ejus aerario contempserunt, avaritiae restiterunt, „ consuluerunt patriae consilio li-

ta, ne divitiae, honores, potestas, aliaque hujus generis bona, quae malis (12) communia sunt, ab hominibus ut per se bona expetantur. Quinta, ut improborum opera in malos animadvertat, et bonos (13) exer-

---

„ bero; neque delicto secundum „ suas leges, neque libidini obnoxii: his omnibus artibus tamquam vera via nisi sunt ad honores, imperium, gloriam; honorati sunt in omnibus fere gentibus; imperii sui leges imposuerunt multis gentibus; hodieque litteris et historia gloriosi sunt pene in omnibus gentibus. Non est quod de summi et veri Dei justitia conquerantur: *perceperunt mercedem suam*. „

(12) Vide ejusdem S Augustini locum, quem in hoc ipso §. affero.

(13) Idem Sermone I. in Psalmum XXXVI. num. II tom. IV. col. 263 seq ad illa verba ver. 10. *et quaeres locum ejus, et non invenies* „ Quid est, *locum ejus?* usum ejus. Habet enim aliquem usum peccator? Habet. Hic utitur illo Deus ad probandum justum; quomodo usus est diabolo ad probandum Job, quomodo usus est Juda ad tradendum Christum. Est ergo in hac vita quod agatur de peccatore. Hic est ergo locus ejus, quomodo est in fornace aurificis locus paleae. Ardet palea, ut aurum purgetur; sic saevit impius, ut justus probetur. Sed cum transierit tempus probationis nostrae, quando non erunt qui probentur, non erunt per quos probentur. Numquid quia diximus, non erunt qui probentur, non erunt ipsi? Sed quia jam non opus erit peccatoribus per quos justi probentur: *Et quaeres locum ejus, et non invenies*. Modo quaere locum peccatoris, invenies. De peccatore fecit Deus flagellum, dedit ei et honorem, dedit ei et potestatem. Aliquando enim facit hoc, dat peccatori potestatem, flagellantur inde res humanae, emendantur inde pii. Peccatori illi hoc reddetur quod debetur: et tamen factum est de illo unde proficiat pius, unde deficiat impius „ Et epist. CCLXIV. alias CXLI num 2. tom. II. col. 895 „ Si nullus etiam malorum bonus usus esset Deo ad utilitatem electorum suorum, qui etiam de malo Judae tantum bonum nobis praestitit, ut Christi sanguine redimeremur; poterat eos aut nasci non permittere, quos malos futuros esse praesciebat, aut in ipso eorum initio malignitatis extinguere. Sed tantum eos permittit esse quantum novit expedire atque sufficere admonendae atque exercendae sanctae domui suae. „ Hanc quoque inter alias, quibus improbi in hac vita terrenis bonis potiuntur, causas recenset Boethius lib. IV. Prosa VI. pag. 97. inquiens „ Quibusdam permissum puniendi jus, ut exercitii bonis, et malis esset caussa supplicii. Nam ut probis atque improbis nullum foedus est, ita ipsi inter se improbi nequeunt convenire. Quidni? cum a semetipsis, discerpentibus conscientiam vitiis, quique dissentiant, faciantque saepe quae cum gesserint, non fuisse gerenda decernant? Ex quo saepe summa illa providentia protulit insigne miraculum,

ceat. Quod tum maxime fit, cum divino nutu ad homines omnium criminum labe foedatos, quales Nero, aliique ex Romanis Imperatoribus Ethnicis fuerunt, summa vis defertur. Nam „ etiam (14) talibus . . . . dominandi potestas non datur nisi summi Dei providentia, quando res humanas judicat talibus dominis dignas . . . . loquente Dei Sapientia: Per (15) me Reges regnant, et tyranni per me tenent terram „ et apertissime alio loco de Deo dictum est: „ Qui (16) regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi. „ Sexta, ut inde malis supplicia in futuro saeculo constituta esse (17) appareat. „ Ut enim (18) nec domus nec respublica ratione quadam, et disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis praemia exstent ulla, nec supplicia peccatis . . . . sic divina in homines moderatio profecto nulla esset, si in ea discrimen nullum esset bonorum, et malorum. „ Quare cum apud omnes constet sapientissimum, ac justissimum esse Deum, ut ex aerumnis, quas boni in hac vita ferunt, ita ex prosperitate, qua mali gaudent, certissime educitur, aliam superesse vitam, in qua amplissima pro recte factis praemia piis reddantur, et ab impiis debitae pro maleficiis poenae exigantur. Septima, ut quando impii, praesertim qui supremum in republica locum, et auctoritatem tenent, de gradu dejecti ad ultima supplicia trahuntur, ipsi, (19) ac mortales caeteri

---

„ ut malos mali bonos facerent. „ Nam dum iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur, „ noxiorum odio flagrantes ad „ virtutis frugem rediere, dum „ se eis dissimiles student esse „ quos oderant. Sola est enim „ divina vis cui mala quoque bona sint, cum eis competenter „ utendo, alicujus boni elicit effectum. „

(14) S. Augustinus de Civitate Dei lib. v. cap. xix. Tom. vii. col. 136. seq.

(15) Proverbiorum cap. viii. ver. 15. et 16. juxta versionem Septuaginta. Vulgata autem: „ Per „ me Reges regnant . . . . et potentes decernunt justitiam. „

(16) Job cap. xxxiv. ver. 30. ex eadem versione. Vulgata propter peccata populi.

(17) Vide Patrum testimonia allata a Patuzzio in Opere citato lib. i. cap. iii num. iii. seqq. pag. 16. seqq.

(18) Cicero de natura Deorum lib. iii. cap. xxxv. tom. ii. pag. 656.

(19) Hoc argumentum ex ve-

esse omnipotentem humanorum scelerum cognitorem, vindicemque Deum (20) agnoscant, et praedicent. Octava, ut fidei, quae Deo est habenda, in hac quoque re locus sit, dum ratum habemus providentissimo ejus consilio fieri, ut mali etiam plerumque, ac si vis ut plurimum salvi, incolumes, opulenti, copiosi, honorati, potentes sint, quamvis propria de singulis consilii illius ratio nos lateat. Qua de re praeclarus, et luculentus est Sancti Augustini (21) locus, dignaque plane sunt quae legantur capita extrema tria carminis de Providentia Divina olim S. Prospero Aquitano adscripti (22), quibus Commentarium hunc meum concludam. Ac Sancti quidem Augustini locus est is ipse. „ Nescimus . . . quo ju-

---

terum Philosophorum testimoniis, omniumque Gentium consensu illustrat Patuzzius lib. cit. cap. v. et seqq. pag. 17. seq.

(20) Huc pertinet illud Claudiani lib. I. in Rufinum edit. cit. pag. 85. qui sua de Providentia dubitatione propter adversas bonorum secundasque malorum res exposita subdit:

„ Abstulit hunc tandem Rufini
„ poena tumultum
„ Absolvitque Deos . . . . . .

Poenarum autem ab impiis in hac etiam vita a Deo exactarum illustria exempla nobis sacrae Litterae suppeditant in Pharaone Egypti Rege Exodi cap. xiv. in Saule, de quo in adnotatione 36. ad §. xx. in Achabo, ejusque uxore, et filiis, Regum lib. III. cap. xxii. et lib. iv. cap. ix. et x. in Antiocho Machabaeorum lib. I. cap. vi. et lib. II. cap. ix. in Herode Actor. Apostolic. cap. xii. et aliis, quos singulos recensere non est opus. Confer Lucii Caecilii librum de mortibus persecutorum tom. II. Operum Lactantii Firmiani, qui ejus libri Auctor gravissimis rationibus putatur, pag. 183. seqq. Ven. Joannis Palafoxii Episcopi Angelopolitani, tum Oxomensis Opusculum inscriptum: *Exemplos de los Principes y Señores que favorecieron las Iglesias, y del buen successos en sus cosas, y de los Principes que fueron contra ellas, y del mal successo en les suyas* Operum ejusdem edit. Matritensis 1665 tom. v. pag. 463 seqq. et Aloysii Belluga Carthagenae Episcopi, ac deinde S. R. E. Cardinalis omnium virtutum genere, doctrinaeque commendatissimi *Memorial al Rey Phelipo Quinto sobre las materias pendientes con la Corte de Roma &c.* § xii. *de los castigos, que el Señor ha executado en los Reyes, y Reynos que han faltado al respeto debido a la Iglesia*, et §. xii. *De la prosperitad que el reves han gozado* Murcia 1709. pag. 150. seqq.

(21) De Civitate Dei lib xx. cap. II. tom. VII. col. 574. seq.

(22) Tomo I. Operum S. Prosperi Aquitani pag. 457. seqq de cujus Auctore vide admonitionem eidem carmini praemissam ibidem pag. 455. seqq.

„ dicio Dei bonus ille sit pauper, malus ille sit dives: „ iste gaudeat, quem pro suis perditis moribus cruciari „ debuisse moeroribus arbitramur; contristetur ille, quem „ vita laudabilis gaudere debuisse persuadet: exeat de „ judicio non solum inultus, verum etiam damnatus in„ nocens, aut iniquitate judicis pressus, aut falsis obru„ tus testimoniis; e contrario scelestus adversarius ejus „ non solum impunitus, verum etiam vindicatus insul„ tet: impius optime valeat, pius languore tabescat: „ latrocinentur sanissimi juvenes; et qui nec verbo quem„ quam laedere potuerunt, diversa morborum atrocitate „ affligantur: infantes utiles rebus humanis immatura „ morte rapiantur; et qui videntur nec nasci debuisse, „ diutissime insuper vivant: plenus criminibus sublime„ tur honoribus, et hominem sine querela tenebrae igno„ bilitatis abscondant: et caetera hujusmodi, quae quis „ colligit, quis enumerat? Quae si haberent in ipsa ve„ lut absurditate constantiam, ut in hac vita, in qua „ *homo*, sicut sacer Psalmus (23) eloquitur, *vanitati si„ milis factus est, et dies ejus velut umbra praetereunt*, „ non nisi mali adipiscerentur transitoria bona ista atque „ terrena, nec nisi boni talia paterentur mala, posset „ hoc referri ad judicium justum Dei, vel etiam beni„ gnum; ut qui non erant assecuturi bona aeterna, quae „ faciunt beatos, temporalibus vel deciperentur pro ma„ litia sua, vel pro Dei misericordia consolarentur bo„ nis; et qui non erant passuri aeterna tormenta, tem„ poralibus vel pro suis quibuscumque et quantuliscum„ que peccatis affligerentur, vel propter implendas vir„ tutes exercerentur malis. Nunc vero quando non so„ lum (24) in malo sunt boni, et in bono mali, quod

(23) Psalmo CXLIII. ver. 4.

(24) S. Augustinus epist. CXL. alias CXX. cap. X. num. 27. tom. II. col. 432. „ In novo Testamen„ to nec defuit, nec deest bono„ rum fidelium multitudo, qui „ etiam ista temporali felicitate „ praepolleant, et in ea largito„ ris Dei bonitatem misericor„ diamque experiantur, tenentes „ tamen quod dispensator novi „ Testamenti divitibus hujus sae„ culi praecepit Apostolus, non „ superbe sapere, neque sperare „ in incerto divitiarum, sed in „ Deo vivo, qui praestat nobis

„ videtur injustum; verum etiam plerumque et malis mala eveniunt, et bonis bona proveniunt: magis inscrutabilia (25) fiunt judicia Dei, et investigabiles viae illius. Quamvis ergo nesciamus quo judicio Deus ista vel faciat, vel fieri sinat, apud quem summa virtus est, et summa sapientia, summaque justitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas: salubriter tamen discimus non magni pendere seu bona, seu mala, quae videmus esse bonis malisque communia; et

g

„ omnia abundanter ad fruendum, ut bene faciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam, qualis in Christi non tantum spiritu, verum etiam carne manifestata est, cum resurrexit a mortuis.„ Et enarratione in Psal. LXVI. num. 3. tom. IV. col. 656. „ Quae sunt dona quae dat inimicis suis? Ea quae numeravi. Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessariis, aut soli boni vel salvi sunt, vel ab aegritudine convalescunt, aut soli boni filios habent, soli boni pecuniam, soli boni caetera apta huic vitae temporali atque transeunti: habent haec et mali, et aliquando desunt bonis: sed desunt et malis, et plerumque istis magis quam illis; aliquando illis quam istis potius abundant. Permixta ista temporalia Deus esse voluit; quia si bonis solis ea daret, putarent et mali propter haec colendum Deum; rursus si ea solis malis daret, timerent boni infirmi converti, ne ista illis forte deessent. Est enim adhuc anima infirma minus capax regni Dei, nutrire illam debet Deus agricola noster. Nam et quae arbor jam tempestates robore sustinet, cum de terra nasceretur, herba erat. Novit ergo ille agricola, non solum robustas arbores putare atque purgare; sed etiam teneras in recenti ortu sepire. Propterea, Dilectissimi, ut dicere coeperam si solis bonis darentur ista, omnes propter haec accipienda vellent converti ad Deum; rursus si solis malis darentur, timerent infirmi, ne cum converterentur, amitterent quod soli mali haberent. Permixte data sunt et bonis et malis. Rursus si solis bonis auferrentur, idem ille timor esset infirmorum, ne converterentur ad Deum; rursus si solis malis auferrentur, ipsa sola poena putaretur qua mali plectuntur. Quod ergo dat ea bonis, consolatur itinerantes; quod dat ea et malis, admonet bonos ut alia desiderent, quae non habent cum malis communia. Rursus bonis aufert ea quando vult, ut interrogent se de suis viribus; et inveniant se, qui forte latebant se, utrum jam possint dicere, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. „ Job. cap. I. ver. 21.

(25) S. Paulus in epist. ad Romanos cap. XI. ver. 33.

„ illa bona quaerere, quae bonorum, atque illa mala „ maxime fugere, quae propria sunt malorum. Cum vero ad illud Dei judicium venerimus, cujus tempus jam „ proprie dies (26) judicii, et aliquando dies Domini „ nuncupatur; non solum quaecumque tunc judicabuntur, verum etiam quaecumque ab initio judicata, et „ quaecumque usque ad illud tempus adhuc judicanda „ sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo judicio Dei fiat, ut nunc tam „ multa, ac pene omnia justa judicia Dei sensus mentesque mortalium lateant; cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, justum esse quod latet. „ Auctor autem incertus Carminis *de Divina Providentia* Epicureos ipsam negantes, *eo quod boni hic adversa patiantur, dum mali prospera omnia experiuntur*, refellens sic habet:

„ Sed quia detectis laqueis jam fraudis opertae,
„ Quo captos vanis studiis deduceret error
„ Compertum: superest nunc respondere querelis,
„ Quae mundi rebus divinam absistere curam
„ Objiciunt, dum saepe bonos labor anxius urget,
„ Et tranquilla fluit cunctorum vita malorum.
„ Dic age, qui nullis Domini moderantis habenis
„ Humanas res ire putas, quid ab (27) ordine cessat
„ Naturae? quae bella movent elementa? quid usquam
„ Dissidet a prisco divisum foedere rerum?
„ Sic interjecta Solis revocatur in ortum
„ Nocte dies, idem est Lunae astrorumque recursus,
„ Et relegunt notas subeuntia tempora metas.
„ Non aliter venti spirant, ita nubibus imber.
„ Laeta negant, servantque genus trudentia flores
„ Semina quaeque suum: nec abest ab origine rerum
„ Ordo manens, iisdem subsistunt omnia caussis.

---

(26) Vide S. Augustinum ibid. cap. xxi., et seqq.; S. Thomam Aquinatem in Supplemento tertiae Partis Summae Theologicae quaest. lxxxviii., et Catechismum Romanum Parte i. cap. viii. de septimo Symboli Apostolici Articulo: *Inde venturus est judicare vivos, et mortuos*.

(27) Vide Senecae librum cap. i.

„ Quae nisi perpetui solers prudentia Regis
„ Adstrueret, molemque omnem spirando foveret;
„ Conciderent subita in nihilum redigenda ruinà.
„ Et cum haec pervigili curà Omnipotentis agantur,
„ Quae certum ad finem devexo limite vergunt:
„ Quis neget in nostram gentem specialius aequum
„ Partiri sua jura Deum? cui perpetis aevi
„ Spem tribuit, propriae largitus imaginis instar.
„ At qui nec poenam injustis, nec praemia sanctis
„ Restitui ad praesens quereris, vellesne per omnes
„ Ultricem culpas descendere judicis iram?
„ Et quo magnanimi clemens patientia Regis
„ Distaret saeva immitis feritate tyranni?
„ An quae pars hominum peccati nescia mundum
„ Possessura foret? vel sanctae quis locus esset
„ Virtuti in terris? cui si praesentia dona
„ Affluerent, caelo potius sublata maneret.
„ Sic mundi meta abruptis properata fuisset
„ Temporibus: neque in sobolem generanda veniret
„ Posteritas; pariter cum justos atque nocentes
„ Aut promissus honos, aut poena auferret ab Orbe.
„ Nunc vero et generis nostri profunda propago
„ Tenditur, ac duplici succedit origine pubes,
„ Nata patrum membris, et Christi fonte renata:
„ Et pia dum populis Domini patientia parcit;
„ In lucem multos tetra de nocte reversos,
„ Ac posita claros peccati labe videmus.
„ Ille per innumeros vultus, et mille per aras,
„ Barbatos, laevesque deos, juvenesque, senesque,
„ Ut quondam fecere, colens, jam errore parentum
„ Abjecto, solum Unigenam summissus adorat.
„ Hic sophicas artes Graecorum, et vana secutus
„ Dogmata, jam Christo sapere, et brutescere mundo
„ Gaudet Apostolico doctus caelestia ludo.
„ Quam multos procul a portu rationis in altum
„ Dedecorum turbo abstulerat; quos aequore toto
„ Jactatos, nimiumque vagis erroribus actos,
„ Nunc reduces juvat excipere, amplexuque paterno
„ Confotos, nusquam statione abscedere vitae?

„ Quos si multa inter morum delicta priorum
„ Plexisset propere rigor implacabilis irae;
„ Intercepta forent melioris tempora vitae,
„ Nec standi vires licuisset sumere lapsis,
„ Mortem (inquit (28) Dominus) peccantis nolo, nec ullum
„ De pereunte lucrum est: redeat magis, inque relictum
„ Mutatus referatur iter, vitaque fruatur.
„ Et quia virtutum similes vult esse suarum
„ Quos genuit; Vindictam (29), inquit, mihi cedite, reddam
„ Judicio quae digna meo; detur locus irae.
„ Sic dum multorum differtur poena malorum,
„ Nonnulli plerumque probos revocantur in actus,
„ Ac fit quisque sibi judex, ultorque severus,
„ Quod fuerat prius interimens, aliusque resurgens.
„ At qui persistunt errori incumbere longo;
„ Quamvis in multis vitiis impune senescant,
„ In saevum finem venient: ibi non erit ulla
„ Spes veniae, minimo ad poenam quadrante (30) vocando.
„ Nos etenim quoties caussa quacumque movemur,
„ Vindictam celerem cupimus: quia rara facultas
„ Non patitur laesis tempus transire nocendi.
„ At vero aeternum nil effugit, omniaque adsunt
„ Salva Deo: nihil est illi tardumve, citumve:
„ Nec dilata umquam, nec festinata putemus,
„ Quae veniunt: nostris mutantur tempora rebus.
„ Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodque gerendum est,

(28) Ezechielis cap. XVIII. ver. 23. „ Numquid voluntatis meae „ est mors impii, dicit Dominus „ Deus, et non ut convertatur a „ viis suis et vivat? „ Confer eumdem cap. XXXIII. ver. 11. et S. Petrum epist. II. cap. III. ver. 9.

(29) Deuteronomii cap. XXXII. ver. 35. „ Mea est ultio et ego „ retribuam in tempore „ et S. Paulus in epist. ad Romanos cap. XII. ver. 19. „ Non vosmetipsos „ defendentes charissimi, sed da- „ te locum irae: scriptum est „ enim; Mihi vindicta; ego re- „ tribuam dicit Dominus. „

(30) Matthaei cap. V. ver. 26. „ Non exies inde, donec reddas „ novissimum quadrantem. „

„ Ante oculos Domini puncto subsistit in uno :
„ Una dies cui semper adest, cras, atque here (31) nostrum.
„ Sed quamquam examen Deus omnia servet in illud,
„ Quo quae nunc occulta latent, reserata patebunt:
„ Multa tamen mundum per saecula cuncta regentis
„ Justitiae documenta dedit: dum maxima bellis
„ Regna quatit, dum saepe urbes, populosque potentes
„ Exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit undis:
„ Dumque inopes ditat, dejectos elevat, auctos
„ Imminuit, solvit vinctos, subigitque superbos.
„ Nec vero hoc nisi cum magna ratione putandum est
„ Accidere, ut quoties iram experiuntur iniqui,
„ Supplicia insontes videantur obire nocentum.
„ Multa quidem semper mundo communia in isto
„ Indignos dignosque manent: sol omnibus idem est,
„ Idem imber, pariter subeuntur frigora et aestus.
„ Utque indiscreta est cunctis aqua, lumen, et aura,
„ Sic injustorum justos mala ferre necesse est:
„ Ut dum multa malis insontes compatiuntur,
„ Sint quorum merito populis parcatur iniquis,
„ Et qui conversos virtutis imagine ducant.
„ Sed cum perdendis indemutabilis instat
„ Finis; non eadem incumbit sententia sanctis.
„ Sunt quos diluvium mundi non (32) obruat, et quos
„ Arsuris liceat Sodomis (33) evadere: norat
„ Angelus Aegypti vastator limina (34) signo
„ Scripta crucis, sacro removens a sanguine plagam.
„ Nec rutilo mulier decepta est vellere, cujus
„ Sola domus (35) tanta pereunte superfuit urbe.
„ Fit mare per tumidum sanctis (36) via, fitque per (37) amnem;

---

(31) *Here* pro *heri* dicebatur a veteribus. Vide Robertum Stephanum in Thesauro linguae Latinae ad hanc vocem.

(32) Noe, ejusque filii cum uxoribus. Genesis cap. VI., et VII.

(33) Loth cum uxore, et duabus filiabus. Ibidem cap. XIX.

(34) Exodi cap. XII. ver. 7. et seqq.

(35) Josue cap. II. ver. 1. seqq. et cap. VI. ver. 17. seqq.

(36) Exodi cap. XIV. ver. 22. seqq.

(37) De transitu Hebraeorum

„ Et per inane piis (38) gradus est: cibus alite serva
„ Suggeritur, perditque avidus sua fercula messor.
„ Utque Dei servis nihil obsit, vertitur ordo
„ Naturae, vinctos labentia vincula solvunt;
„ Carcer sponte patet, sera non tenet obice valvas;
„ Deficit humor aquas, ignes calor, ira (39) leones.
„ Non autem dubium est, in magnae turbine cladis
„ Involvi teneros annos, et more parentum,
„ Criminis expertes, aliena occumbere culpa.
„ Nam cum homines pontus tegeret, deleta per orbem
„ Multa puellarum et puerorum millia notum est,
„ Nec tamen injuste terris exemta videtur
„ Progenies auctura malos, cui multus in ipso
„ Exitio est collatus honos, quod crimine patrum
„ Occidit ante, sua caderet quam noxia culpa.
„ Quod si et justum aliquem complexa est poena malorum,
„ Ne dubites placuisse Deo: nec enim mala mors est
„ Ulla bonis, quibus vario longoque labore,
„ Quilibet in requiem patet exitus: aspera vitam
„ Dat via, nec campo capitur, sed fine corona.
„ Verum nos blandis capti, offensique severis,
„ Nec bona judicio spectamus, nec mala vero.
„ Dum non nostrarum curanda negotia rerum
„ Suscipimus, propriisque juvant aliena relictis.
„ Nec quemquam vitiis miserum, aut virtute beatum
„ Censentes, frustra externis culpamque decusque
„ Jungimus, et caelo adscripti terrena fovemus.
„ Felices dici mos est, quos blanda potestas
„ In summos apices tumidorum evexit honorum:
„ Quos magni quaestus ditarunt, et quibus amplos
„ Congessit reditus totum res fusa per orbem.
„ Laudantur vestes pretiosae, et pulcra supellex,

---

per Jordanem vide librum Josue cap. III et de transitu Eliae per idem flumen consule librum IV. Regum cap. II.

(38) Danielis cap. XIV.

(39) Hujus generis prodigiorum exempla in Veteris, Novique Testamenti Historia exstant.

„ Magnae aedes, famuli innumeri, vigilesque clientes,
„ Et quidquid non est nostrum, quodque ut dare quivit
„ Una dies, sic una potest auferre: nec illud
„ Quod speciale bonum est hominis, nullamque timet vim,
„ Amplexi; miseros, quibus haec perdentia desunt,
„ Et per mille modos pereuntia, credimus: ac si
„ Justitiam durus labor urgeat, et dolor aegri
„ Corporis, et mortes natorum, et turpis egestas.
„ Non quantas pariat constans tolerantia palmas,
„ Nec quo pugna brevis sit processura videmus:
„ Sed calicem crucis ac vitae libare verentes,
„ Vipereum obducto potamus melle venenum.
„ Dulcia sunt etenim gustu, specieque decora,
„ Quae morbos mortemque animae generantque, foventque,
„ Canceris et ritu languentia viscera carpunt.
„ Cumque Deus medicam caelo demittere curam
„ Dignatur, penitusque putres abscindere fibras;
„ Incusamus opem teneri, et tabescere morbo
„ Malumus, antidoti quam vim tolerare severi.
„ Non igitur mala sunt, quae nos mala ducimus: et cum
„ Ulceribus diris non parcit dextra medentis;
„ Amplectenda salus, non exacuenda querela est.
„ Jam quos peccantes Deus arguit, hos etiam nunc
„ Diligit, et patrio vult emendare flagello.
„ Meque istis potius societ, quam congreget illis,
„ Quos jam summoto permisit verbere, cursu
„ Ire voluntatis, propriaque libidine ferri.
„ Hi sunt vero illi, quos inter crimina tutos,
„ Et scelerum dites fructu, impunita senectus
„ Extremae turpis vitae produxit in oras.
„ Hi justum injustis odiis pressere: per istos
„ Bella excita piis, et flagra medentia tardis.
„ Namque eadem cunctos exercent tela fideles,
„ Sub duplici caussa: dum quo torquentur iniqui,
„ Hoc sancti crescunt; et quod poenam attulit illis
„ Pro culpa, hoc istis dat pro virtute coronam.

„ Denique si quidquid mundanis rebus acerbum
„ Accidit, excutias; totum jam sponte videbis
„ Anticipasse Dei famulos. Gemit ille talentis
„ Argenti atque auri amissis, hunc rapta supellex,
„ Perque nurus Geticas (40) divisa monilia torquent.
„ Hunc pecus abductum, domus ustae, potaque vina
„ Afficiunt, tristes nati, obscoenique ministri.
„ Sed sapiens Christi servus nil perdidit horum,
„ Quae sprevit, caeloque prius translata locavit,
„ Ac si quid mundi sub tempestate laborum
„ Incidit, intrepide subiit: manifestus honoris
„ Promissi, et cupidus victo certamine solvi.
„ At tu, qui squalidos agros, desertaque defles
„ Atria, et exustae proscenia diruta villae;
„ Nonne magis propriis posses lacrymas dare damnis;
„ Si potius vastata tui penetralia cordis
„ Inspiceres, multaque obtectum sorde decorem,
„ Grassantesque hostes captivae mentis in arce?
„ Quae nisi per cunctas patuisset dedita portas,
„ Inque suam cladem facibus fomenta dedisset,
„ Hoc etiam quae facta manu speciosa fuerunt;
„ Devoti meritum populi testata manerent.
„ Sed cum deformi jaceant prostrata ruina;
„ Objiciunt nobis casus nostrosque suosque.
„ Hos igitur cineres templorum, haec busta potentum;
„ Quae conjecta jacent, populati cordis in aula
„ Plangamus captiva manus: nos splendida quondam
„ Vasa Dei, nos almae arae, et Sacraria Christi,
„ In quibus argentum eloquii, virtutis et aurum,
„ Et sceptrum captum est crucis, et diadema decoris.
„ Nec rabidis justam moveamus questubus iram,
„ Judicium culpando Dei, quod mentis et oris
„ Officium multa transcendit majus abysso.
„ Quamvis exiguo hoc fugientis tempore vitae
„ Injusti tumeant, et tuta pace suorum

(40) Respicit ad Vandalorum, Getarumque, seu Gothorum irruptiones in Gallias; de quibus S. Prosper in Chronico.

„ Laetentur scelerum: nonque illos vinea fallat,
„ Non ager; et noceant illaesi, et crimine crescant:
„ Nos quibus in Christo sunt omnia, non capiant res
„ Occiduae: quas nec nobiscum inveximus orti,
„ Nec discessuri mundo exportabimus isto.
„ Sed si quis superes animi vigor; excutiamus
„ Peccati servile jugum, ruptisque catenis,
„ In libertatem, et patriae redeamus honorem.

LUCII ANNAEI SENECAE LIBER AD LUCILIUM.

Quare (1) *bonis viris multa mala accidant cum sit Providentia.*

C A P U T I.

Quaesisti a me, Lucili, (2) quid ita si Providentia (3) mundus ageretur, multa bonis viris acciderent (4) mala? Hoc commodius in contextu operis (5) redderetur, cum praeesse universis providentiam probaremus, et interesse nobis Deum; sed quoniam a toto particulam revelli placet, et unam contradictionem, manente (6) lite integra, solvere: faciam rem non difficilem, caussam Deorum agam. Supervacuum est (7) in praesentia ostendere, non

---

(1) De hac insctiptione vide Commentarium huic libro praemissum §. IV.

(2) Vide Commentar. eumdem §. I.

(3) Pronoean aut providentiam „ cum dicebant Stoici, nullo ad„ dito, divinam providentiam in„ telligebant. Cicero 2. de natu„ ra deorum: *Ut si quis dicat*, „ *Atheniensium remp. concilio re*„ *gi: desit illud*, *Areopagi: sic* „ *cum dicimus*, *providentia mun*„ *dum administrari*, *deesse arbi*„ *trator deorum*. *Plane autem et* „ *perfecte sic dici existimato*, *pro*„ *videntia deorum mundum ad*„ *ministrari*: „ Muret. in adnot. ad haec verba Operum Senecae edit. Genevensis MDCXXVIII. typis Alexandri Perneti pag 489. num. 3., qua editione in aliorum ad hunc librum adnotationibus referendis, indicandisque utar.

(4) Vetus haec est quaestio, vel querela ab impiis Philosophis quibusdam, ac Poetis in divinam Providentiam jactata; ut liquet ex illorum testimoniis allatis a Mureto in Disputatione habita cum hunc librum interpretaturus esset pag. 480. et seq. atque ab eodem, et Morellio, ac Lipsio in adnotationibus ad verba: *Quid ita si Providentia*, *et bonis viris* num. 3. et 4. pag. ead. Vide Commentar. §. XXII.

(5) Quod desideratur, sive seorsim de Providentia scripsit; sive „ magno Moralium operi inseruit, „ ubi a Deo et Providentia orsus, „ transiit ad homines et virtutes.„ Lips. ibid. pag. 490. „ Confer Muretum n. eod.

6 Quaestione primaria, An sit Providentia, non quidem tecum, sed cum iis, qui eam negant. Muret. et Lip. n. 10.

(7) „ Tum quia id per se notum „ est; tum quia tu id non negas. „ Breviter tamen tangit, quasi „ praeteriens, multa argumenta

sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, et quae casus (8) incitat, saepe turbari, et cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere eternae legis imperio, tantum rerum terra, marique gestantem, tantum clarissimorum luminum, et ex dispositione lucentium: non esse materiae (9) errantis hunc ordinem: neque quae te-

---

„ quibus, divinum esse aliquod „ numen, quod huic rerum universitati praesideat, intelligatur, quorum primum est, mundi ipsius magnitudo, quae carere custode non potest. Sic „ apud Ciceronem Balbus, *An vero*, inquit, *si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut etsi dominum non videas, muribus illam et mustelis aedificatam putes: tantum vero ornatum Mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum caelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, non plane desipere videare*? Sed haec argumenta „ et in secundo de natura Deorum, et a Lactantio in libro „ de ira Dei, et a Theodoreto, „ decem aureolis orationibus divinitus explicata sunt. „ Muret. n. 12. Confer Boethii locum adnot. 8. ad §. xxiii. descriptum, Patrumque testimonia relata a Dionysio Petavio *Theologicorum Dogmatum de Deo, Deique proprietatibus lib. viii. cap. iii. tom. i. editionis Venetae mdcclvii. pag.* 307. *seqq.* et aliorum Opera indicata a Joanne Alberto Fabricio in Syllabo citato cap. xvii. *de Divina Providentia*, quibus accensendi sunt qui nostra aetate divinae Providentiae causam adversus impios egerunt, ut Antonius Touronius O. P. in Opere, quod inscribitur: *De la Providence Traité Historique, Dogmatique, et Moral; avec un discours preliminaire contre l' Incredulité, et l'Irreligion, à Paris mdcclii.* et alii.

(8) In iis quae casu aguntur nullus ordo, nulla constantia est. In mundo omnia ordinatim constanterque fiunt. Non igitur casu aguntur. Quod si est, sequitur, ut mente ac consilio regantur. „ Muret. n. 16.

(9) Atomorum fortuito concurrentium, ut Epicurei delirabant, quos ita refellit Balbus apud Ciceronem *de natura Deorum lib. ii. cap. xxxvii. tom. ii. pag.* 594. *seq.* „ Hic ego non mirer „ esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida atque individua vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum, et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat „ fieri potuisse, non intelligo, „ cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae literarum vel aureae, vel „ quales libet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram „ excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod „ nescio an ne in uno quidem „ versu possit tantum valere fortuna. Isti autem quemadmodum asseverant, ex corpusculis non colore, non qualitate „ aliqua.... non sensu praeditis, „ sed concurrentibus temere atque casu, mundum esse per-

mere coierunt; tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum pondus sedeat (10) immotum, et circa se prope-

---

„ fectum? vel innumerabiles potius in omni puncto temporis „ alios nasci, alios interire? „ Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur „ porticum, cur templum, cur „ domum, cur urbem non potest? quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo „ effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem caeli „ ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur. „

(10) Apud Ciceronem *Lib. II. Academicarum Quaestionum*, teste Nonnio, qui liber *Lucullus* inscribitur, *cap. XXXIX. tom. II. pag. 67.* „ Hiceras (*vulgo* Nicetas, *sed male* ibid. adnot. 15.) „ Syracusius, ut ait Theophrastus, caelum, solem, lunam, „ stellas, supera denique omnia, „ stare censet: neque praeter terram rem ullam in mundo moveri: quae cum circum axem „ se summa celeritate convertat, „ et torqueat, eadem effici omnia, quasi stante terra caelum „ moveretur. Atque hoc etiam „ Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius. „ In eadem opinione versati sunt Heraclides Ponticus et alii ex veteribus quos indicant Clari PP. Eduardus a S Xaverio Carmelita exalceatus in adn. f. ad lib. III. *Divinarum Institutionum* Lactantii edit. Rom. CIƆIƆCCLVII. typis Angeli Rotilii pag 15. et Salvator Maria Rosellius O. P. *Summae Philosophicae Secunda secundae partis quaest. VIII. art. III.* edit. Rom. MDCCLXXIX. pag. 181. adnot 1., eamque in lucem revocavit Nicolaus Copernicus, a quo systema de motu telluris Copernicanum appellatur, quem „ Neoterici fere omnes, in primis Galilaeus, Gassendus, Newtonus sequuntur, „ ut scribit Cl. Petrus Orlandius Congregationis Caelestinorum in adnot. ad Tractatum de rebus caelestibus adjectum Operi inscripto *Elementa Physicae conscripta in usus Academicos a Petro van-Musschenbroeck* Neapoli CIƆIƆCCLI. pag. 13. De qua quidem opinione haec monenda censeo. 1. Decreto S. Congregationis Indicis An. 1620. num. XXI. pag. 314. in Indice Decretorum ad calcem Indicis librorum prohibitorum Alexandri VII. Pont. Max. jussu editi Romae ex Typographia Reverendae Camerae Apostolicae 1664. *Scripta Nicolai Copernici nobilis Astrologi, de Mundi revolutionibus permissa iis tamen correctis juxta subjectam emendationem locis, in quibus non ex hypothesi, sed asserendo de situ et motu terrae disputat.* 2. In Indice librorum prohibitorum Benedicti XIV jussu recognito, atque edito omissum quidem fuisse hunc Articulum: *Libri omnes docentes mobilitatem terrae, et immobilitatem Solis;* verum retenta quae *de revolutionibus Orbium caelestium Nicolai Copernici, de Commentariis in Job Didaci a Stunica, de Pauli Antonii Foscarini Epistola*, et *de Galilei Galilei Dialogo* in Superioribus Indicibus legebantur 3. Ut animadvertit laudatus Orlandius in Monito ad Lectorem praemisso Tractatui *De rebus caelestibus* tom. secundo Musschenbroekii edit. cit pag 6. et seq. argumentis, quae ad telluris motum cum circa seipsam, tum circa Solem astruendum afferri solent, et si non exigua pro-

rantis Caeli fugam spectet; ut infusa vallibus maria molliant terras, nec ullum incrementum (11) fluminum sen-

---

babilitatis vis inesse videatur, tamen eà rem conficere temere affirmaretur, Hugenio, Newtono, Gregory, aliisque praeclarissimis Astronomis judicibus, quorum testimonia videsis in celeberrimo Niewentytii opere *L' existence de Dieu c. 7. l. 3.* Contra Sacrae Scripturae, quam divino afflante Spiritu exaratam, nullique adeo vel levissimo errori obnoxiam agnoscimus, et veneramur, litterali, et proprio sensu intellectae Telluris immobilitatem, Solis vero motum manifestissime asseri, a quo nisi evidens ratio contrarium suadeat recedere fas non est; itaque donec Copernicani evidentissima suae sententiae argumenta non protulerint, quemadmodum reapse nunquam attulerunt, citra temeritatis notam nequire christianum Philosophum eorum adhaerere sententiae; nihilominus nil vetare quominus Solis quietem, et Telluris motum ut hypothesim caelestibus phaenomenis explicandis aptissimam usurpemus. 4 Christianum Wolfium *in Discursu praeliminari de Philosophia in genere cap. VI. in adnot. ad §. 168. Philosophiae rationalis edit. Veronensis MDCCXXXV. pag. 66.* subscribere judicio P. Fabri, qui optimo jure, offensionis vitandae causa, a Sacris Congregationibus cautum fuisse defendit, ne quis terrae mobilitatem ut thesim propugnaret, hac ratione: „ Nimirum aut a recepta Scripturae „ interpretatione in gratiam hypotheseos terrae motae est recedendum, aut eadem est retinenda. In utroque casu non „ evitabitur scandalum, judicio „ *Fabriano*. Etenim si recepta „ Scripturae interpretatio retinetur, et tamen defendi permittatur motus telluris tamquam „ verus: fieri potest, ut hinc alìqui colligant Scripturam Sacram docere, quae veritati consentanea non sunt, quo posito „ multae variis modis consequuntur conclusiones religioni adversae, prout illi, qui eas infert, his vel aliis hypothesibus „ fuerit addictus. Quod si a recepta Scripturae interpretatione „ in gratiam hypotheseos, quae „ nondum demonstrata est, recedatur; periculum est non modo, ne forsan in posterum hypothesis reperiatur falsa, sed „ et parum conveniens est in casu inevidentiae Theologum cedere philosopho: imo utroque „ in casu denuo consequentiae „ fluunt religioni parum respondentes, diversae pro diversitate „ hypothesium aliarum, quae tamquam praemissae egrediuntur „ ratiocinia, quibus conclusio infertur. Et ita non absque ratione scandalosum visum fuit „ Poenitentiario laudato receptae „ Scripturae interpretationi nuncium mittere, in gratiam hypotheseos philosophicae. „ 5. Decretum quo interdictum est, ne Copernicanum systema ut thesis proponatur, nunquam fuisse abrogatum. Qui plura volet legat Jo. Dominicum Agnanum O. P. *Philosoph. Neo-Pal. lib. 1. Prodrom. sect. 1. cap. XV. num. XVI seqq. edit. Romae MDCCXXXIV. pag. 152. seqq.* Eduardum a S. Xaverio Dissertat. cit. in adnotatione initio indicata, et Salvatorem Mariam Rosellium quaest. cit.

(11) Ecclesiastis cap. 1. ver. 7. „ Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad „ locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant. „

tiant; ut ex minimis seminibus (12) nascantur ingentia. Ne illa quidem, quae videntur (13) confusa, et incerta, pluvias dico, nubesque, et elisorum fulminum jactus, et incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, et alia, quae tumultuosa pars rerum circa terras movet, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt, sed suas et illa causas habent non minus, quam, quae alienis locis conspecta miraculo sunt, ut in mediis fluctibus calentes (14) aquae, et nova (15) insularum in vasto exilientium mari spatia. Jam vero si quis observaverit nudari litora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, credet caeca quadam volutatione modo contrahi undas, et introrsum agi, modo erumpere, et magno cursu repetere sedem suam: cum illae interim portionibus crescunt, et ad horam, ac diem subeunt, ampliores, minoresque, prout illas lunare (16) sidus elicuit, ad cujus arbitrium oceanus exundat. Suo ista tempori reserventur, eo quidem magis, quod tu non dubitas de providentia, sed quereris. In gratiam te

(12) „ Cicero: seminis enim vim „ esse tantam, ut id quamquam „ sit perexiguum, tamen si in„ ciderit in concipientem com„ prehendentemque naturam, na„ ctumque sit materiam, qua ali „ augerique possit, ita fingat et „ efficiat in suo quidque genere. „ Utitur eodem argumento ad ostendendam Providentiam et Simplicius in Epictetum. Muret. pag. 491. n. 25

(13) Non tantum ea quae ita certa sunt et composita, ut in eis manifesto vis consilii et rationis appareat, sed ea etiam quae videntur incerta et temeraria, certo tamen consilio administrantur. Muret. n. 26.

(14) Plinius II. *Vaporant et in mari ipso calentes aquae, quae Licinii Crassi fuerunt, mediosque inter fluctus ex istis aliquid valetudini salutare*, Philo Judaeus de Somniis .... *Sunt enim mille passim fontes aquam calidam manantes, non in terra solum, sed ipso mari. Nunc certe deprehenduntur tales venae in mediis maribus, quas ab aevo fluctuum in orbem inundatio non potuit extinguere, imo nec remittere*. Lips. n. 28.

(15) Exemplum hujus rei est apud Livium ad finem libri XXXIX. Vide Plinium capite XCVII. libri secund. iMuret. n. 29.

(16) Aliquid noster 3. Quaest. cap. 28 (scilicet Naturalium Quaestionum lib. III. cap. XXVIII. pag. 856) plenius Scaliger. Exercit. LII. Lips. n. 31. Vide si libet Rosellium in *Continuatione secundae secundae partis Summae Philosophicae quaest. XX. art. IV.* in quo quaerit: *Quaenam sit causa aestus maris pag. 208. seqq.*

reducam cum diis adversus optimos optimis. Neque enim natura patitur, ut unquam bona bonis noceant. Inter bonos (17) viros, ac Deum amicitia est, conciliante virtute; amicitiam dico? Imo etiam necessitudo, et similitudo, quoniam quidem bonus ipse tempore tantum (18) a Deo differt, discipulus ejus, aemulatorque, et vera (19) progenies, quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi patres, durius educat. Itaque cum videris bonos viros, acceptosque diis, laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire, et voluptatibus fluere; cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum (20) licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat: bonum virum in deliciis non habet; experitur, indurat, sibi illum praeparat.

CAPUT II.

Quare multa bonis viris adversa eveniunt? Nihil accidere bono viro mali (1) potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum superne dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem, ita adversa-

---

(17) Vide Commentar. § XVII. et XVIII.

(18 Itaque dicebant, hominem esse mortalem Deum, Deum vero hominem immortalem. Sed hoc multo quam par est, audacius ac superbius dictum est. Muret. n. 37. Confer Commentar. § XII.

(19) Vide Commentar. §. XVIII.

(20) Quorum procacitas propria, atque etiam dicacitas. Inde *Vernae procaces* Horatio. *Vernaculorum dicta* Martiali. *Vernilia dicta*, *et Vernilitas* Senecae ipsi, aliisque. At illud Martialis appositum:

„ Urbanus tibi, Caecili, videris.
„ Non es crede mihi, quid ergo? verna es. Lips. n. 41.

Iis enim impunissime in dominos jocularia funditare jus erat, sicut et morionibus quoque cinaedisque, ac mancipiis denique eum in usum praedestinatis conciliatisque: unde Horatius:

„ .... Vernasque procaces
„ Pasco libatis dapibus: „

Nec non Tibullus:

„ Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
„ Garrulus in dominae ludere verna sinu.

Multa de iis vide apud Dousam in Praecidan. ad Arbitrum. Juretus n. eod.

(1) Vide Commentar. §. XX.

rum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior: nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit, et alioquin quietus, placidusque, contra incurrentia attollitur. Omnia adversa, exercitationes (2) putat. Quis autem, vir modo, et erectus ad honesta, non est laboris appetens justi, et ad officia cum periculo promptus? cui non industrioso otium poena est? Athletas (3) videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque confligere, et exigere ab his, per quos certamini praeparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur: caedi se, vexarique patiuntur, et si non inveniunt singulos pares, pluribus simul objiciuntur. Marcet sine adversario virtus: tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque cum quid possit, patientia ostendit. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum, ut dura, ac difficilia non reformident, nec de fato querantur: quidquid accidit, boni consulant, in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum feras, interest. Non vides, quanto aliter Patres, aliter Matres indulgeant? illi excitari jubent liberos, ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et interdum lacrimas, excutiunt: at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt; nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, et illos fortiter amat, et operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, ut

---

(2) Simplicius in Epictetum, haec omnia aut *Exercitia*, aut *Medicamenta* habet. Illa, si sanus animus, ad robur tuendum vel augendum: ista, si languidus, et deliciis aut voluptatibus demersus, ad recuperandum. Plane, ut in corporum cura solet. Lips. pag. 493. n. 7.

(3) S. Paulus in Epist. I. ad Corinthios cap. IX. ver. 25. seqq. „ Omnis . . . . . qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno non quasi aerem verberans. Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. „ Et in epist. II. ad Timotheum cap. II. ver. 5. „ Qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit . . .

verum colligant robur. Languent per inertiam saginata: nec labore tantum, sed mole, et ipso sui onere deficiunt. Non fert ullum ictum illaesa felicitas; at ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per injurias ducit, nec ulli malo cedit: sed etiam si ceciderit, de genu pugnat. Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse, atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, si quando Dii impetum capiunt spectandi magnos viros, colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi, irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior (4) fecit. Non sunt ista, quae possunt Deorum in se vultum convertere, sed puerilia, et humanae oblectamenta levitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus: ecce par (5) Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem jam partibus (6) non semel fractis stantem, nihilominus inter ruinas publicas rectum. Licet, inquit, omnia in unius ditionem concesserint, custodiantur legionibus terrae, classibus maria, Caesarianus portas miles (7) obsideat; Cato, qua exeat, habet: Una manu latam libertati viam

h

---

(4) Etsi olim viles tantum, et captivi aut damnati ad bestias ferre solerent dari; tamen sub Principibus invaluit, etiam Equites, etiam Senatores committi; Seneca epist. 100. *Adspice illos juvenes, quos ex nobilissimis domibus in aream luxuria conjecit*. Nam desperatio, et aes alienum, tales eo saepe adigebat. Vide me in 2. Sat. cap. 3. Lips. n. 16.

(5) Usitato in gladiatoribus verbo usus est, ut et statim, *Compositus*. Lucilius: *Cum Placidejano hic componitur*; et in hoc ipso libro, *Ignominiam judicat gladiator cum inferiore componi*. Muret. ibid. n. 18.

(6) Partibus Reipublicae quibus favebat Cato terra marique non semel fractis in Pharsalia et in Africa. Dalecampius ibid. n. 19.

(7) Nam *praemiserat Caesar Uticam cum equitatu M. Messallam, ipse eodem iter faciens*: Hirtius. Lips. ib. n. 21.

faciet: ferrum istud, etiam civili bello purum, et innoxium, bonas tandem, ac nobiles edet operas: libertatem, quam patriae non potuit, Catoni dabit. Aggredere anime diu meditatum opus; eripe te rebus humanis. Jam Petrejus, (8) et Juba concurrerunt, jacentque alter alterius manu caesi. Fortis, et egregia fati conventio; sed quae non deceat magnitudinem nostram; tam turpe est Catoni, mortem ab ullo petere, quam vitam. Liquet mihi, cum magno spectasse gaudio deos, cum jam ille vir, acerrimus sui vindex, alienae saluti consulit, et instruit discedentium fugam: dum etiam studia (9) nocte ultima tractat: dum gladium sacro pectori infigit, dum viscera spargit, et illam sanctissimam animam, indignamque quae ferro contaminaretur, manu educit. Inde crediderim fuisse parum certum, et efficax vulnus: non fuit Diis immortalibus satis, spectare Catonem semel: retenta, ac revocata virtus est, ut in difficiliori parte se ostenderet. Non enim tam magno animo mors initur,

(8) Mirabilis in horum morte narranda historicorum dissensio est. Hic noster ait eos mutuis vulneribus caesos; idque factum Catone nondum mortuo. At Hirtius in libro de bello Africano, *Rex interim Juba*, inquit, *ab omnibus civitatibus exclusus, desperata salute, cum omnia conatus esset cum Petrejo, ut per virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant. Firmior imbecilliorem Juba Petrejum facile ferro consumpsit. Deinde ipse sibi cum conaretur gladio trajicere pectus, nec posset, precibus a servo suo impetravit, ut se interficeret idque obtinuit*. Sed hoc Catone jam mortuo factum esse dicit. Hujus igitur testimonio, valentior fuit Juba. At Florus libro quarto, hoc modo: *Juba cum se recepisset in regiam, magnifice epulatus cum Petrejo fugae comite, super mensas et pocula, interficiendum se ei praebuit; ille et regi suffecit, et sibi*. En ibi valentiorem Petrejum. In hoc autem consentit Florus cum Seneca, quod id factum narrat, antequam manus sibi adferret Cato. Livius, quantum ex epitoma libri CXIIII. colligitur, de Petrejo cum Floro facit: de tempore dissentit. Prius enim narrat mortem Catonis. Dio libro XLIII. idem sentire videtur, quod Seneca. Appianus Hirtii sententiam sequitur. Quid in hac varietate facias? nisi ut dormites potius, quam in his, quibus neque melior quisquam, neque sapientior sit, subtiliter conquirendis otium conteras? Muret. ibid. n. 23. Confer adnotationes Lipsii n. 24. et 25.

(9) Nam Platonis Dialogum qui *Phaedo* inscribitur, *de Anima et immortalitate* dicitur legisse. Lips. ibid. n. 28.

quam repetitur. Quidni libenter spectarent alumnum suum, tam claro, ac memorabili exitu evadentem? mors illos consecrat, quorum exitum, et qui timent (10), laudant.

CAPUT III.

Sed jam procedente oratione ostendam, quam non sint, quae videntur, mala. Nunc illud dico, ista, quae tu vocas aspera, quae adversa, et abominanda, primum pro ipsis esse, quibus accidunt, deinde pro universis: quorum major diis cura est, quam singulorum. Post haec, volentibus accidere, ac dignos malo esse, si nolint. His adjiciam, fato (1) ista fieri, et recte eadem lege bonis evenire, qua sunt (2) boni. Persuadebo inde tibi, ne unquam boni viri (3) miserearis: potest enim miser dici, non potest esse. Difficillimum ex omnibus, quae proposui, videtur, quod primum dixi: pro ipsis esse, quibus eveniunt ista, quae horremus, ac tremimus. Pro ipsis est, inquis, in exilium projici, in egestatem deduci, liberos, conjugem efferre, ignominia affici, debilitari? Si miraris, hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro, et igne (4) curari, nec minus fame, ac siti. Sed si cogitaveris tecum, remedii caussa quibusdam, et radi (5) ossa, et legi, et extrahi (6) venas, et quaedam

h 2

(10) Vide Commentar. §. XV. et XVI.

(1) Vide Commentar. §. III

(2) Quatenus sunt tales; nam adhaerent haec bonitati et virtuti: neque ea sunt sine incommodis his externis. Lips. pag. 495. n. 2. Confer. adnot. 7. ad §. II. Commentarii.

(3) Haec pars in fine deest, temporum injuria, non scriptoris incuria. Lips. pag cit. n. 3.

(4) Simplicius tale: *Si corporum medicinam exercentem, eumque urentem et secantem, atque ipsos carnifices imitantem, non malum sed bonum dicimus, atque adeo gratias agimus, et mercedem numeramus: cur in medicina Dei non acquiescimus?* Nam ut Hieronymus in Ezechielem: *quae putatur poena, medicina est*. Idem n. 5.

(5) Intempestive de mortuorum ossibus legendis hoc loco nonnulli tractarunt. Nam Seneca tradit remedii causa, *radi ossa*, *ligari et extrahi venas*: quae remedia mortuis non adhibentur. Intellige ergo putria ossa, vel cariosa, vel fracta viventium radi vel extrahi, secundum medicorum praeceptum. Dale. n. 6.

(6) Vir eruditus eo refert, quod

amputari membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant; hoc quoque patieris probari tibi, quaedam incommoda pro his esse, quibus accidunt, tam mehercules, quam quaedam, quae laudantur, atque appetuntur, contra eos esse, quos delectaverunt, simillima cruditatibus, ebrietatibusque, et caeteris, quae necant per voluptatem. Inter multa magnifica Demetrii (7) nostri, et haec vox est, a qua recens sum; sonat adhuc, et vibrat in auribus meis: Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi. Non licuit enim illi se experiri. Ut ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum: male tamen de illo dii judicaverunt: indignus visus est, a quo vinceretur aliquando fortuna, quae ignavissimum quemque refugit, quasi dicat: Quid ego istum mihi adversarium assumam? statim arma submittet: non opus est in illum tota potentia mea; levi comminatione pelletur: non potest sustinere vultum meum. Alius circumspiciatur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam judicat gladiator, cum inferiore componi: et scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit fortuna, fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit. Contumacissimum quemque, et rectissimum aggreditur, adversus quem vim suam intendat. Ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum, nisi mala fortuna, non invenit. Infelix est Mucius, (8) quod dextera ignes hostium premit, et ipse a se exigit erro-

---

in quibusdam morbis, ut Varicibus, *vena exciditur aut aduritur*, ut Celsus jubet VII. cap. XXXI. quod ipsum mox dicit, *eximi venam*. At ego aptius veriusque habeam, *extrahi venas*, id est sanguinem è venis. Metonymia usitata, uti *poculum obduci* Lips. n. 8.

(7) Illius Cynici, quem passim attollit in his libris. Vid. epist. LXIII. (corrige LXII. Nam in epist. LXIII. laudat Attalum) et de Benef. VII. cap. VII. (corrige cap. V.) Idem n. 9.

(8) Legit ista et sublegit alibi (sed decore) Minutius: *Vos ipsi*, inquit, *calamitosos viros fertis ad caelum. Mutium Scaevolam, qui cum errasset in Rege, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset*. Lips. pag. 496. n. 12.

ris sui poenas? quod Regem, quem armata manu non potuit, exusta fugat? Quid ergo? felicior esset, si in sinu amicae foveret manum? Infelix est Fabricius, quod rus suum, quantum a Republica vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho (9), quam cum divitiis gerit? quod ad focum coenat illas ipsas (10) radices, et herbas, quas in agro repurgando triumphalis (11) senex vulsit? Quid ergo? felicior esset si in ventrem suum longinqui litoris (12) pisces, et peregrina (13) aucupia congereret? Si conchyliis superi, atque inferi maris pigritiam stomachi nauseantis (14) erigeret? si ingenti pomorum (15) strue cingeret primae formae feras, captas multa caede venantium? Infelix est Rutilius, quod qui illum (16) damnaverant, caussam dicent omnibus saeculis? quod aequiore animo passus est se patriae eripi, quam sibi exilium? quod Sullae dictatori (17) solus aliquid negavit, et revocatus non tantum retrocessit, sed longius fugit? Viderint, inquit, isti, quos Romae deprehendit felicitas tua: videant largum in foro sanguinem, et supra Servilium (18) lacum (id enim proscriptionis

---

(9) Seneca epist. 120. Fabricius Pyrrhi *regis aurum rejecit, majusque regno judicavit regias opes posse contemnere*. Idem n. 14.

(10) Rapa alii exprimunt. Etsi de hac coena ad focum, et rapis, Cicero, Plinius, Plutarchus, alii, ad Curium non Fabricium trahunt. Idem n. 15.

(11) Triumphavit de Samnitibus, Lucanis, Brutiis, Anno 471. Idem n. 15.

(12) Ut muraenas, et anguillas Siculas, ostrea Lucrina, coracinos Niliacos, lupos ex Timavo, accipenseres Rhodios, Mur. n. 18.

(13) Ut attagenas Jonicas, Phoenicopteros, quorum etiam linguis patinas implebant, phasianos, gallinas Numidicas, porphyriones, pavones Samios, et similia. Idem n. 19.

(14) In eum enim usum illa sumebant, ut pleni, ac distenti denuo esurirent. Idem n. 20.

(15) Ita enim apponebant aprum, ut indicarent, eum talem pomorum quasi stragem edere solitum esse. Sic squillas cingebant asparagis. Mirum est autem tantopere illis placuisse vastos illos et immanes apros, cum tenellos constet esse suaviores: nisi forte qui minore periculo capiebantur, minus placebant. Muret. n. 22. et 23.

(16) Equites Romani, conspiratione in eum publicanorum, quos grassari in Asia prohibuerat. Itaque in ipsam amicam Asiam damnatus rediit; *cui obviam omnes civitates legatos miserunt, ut ad se diverteret*. Valerius. Lips. n. 24.

(17) Petenti ut Romam rediret. Muret. n. 27.

(18) Cicero pro Roscio; *Te pu.*

Sullanae Spoliarium (19) est) Senatorum capita, et passim vagantes per urbem percussorum greges, et multa (20) millia civium Romanorum, uno loco post fidem, imo per ipsam (21) fidem trucidata. Videant ista, qui exsulare non possunt. Quid ergo, felix est L. Sulla, quod illi descendenti ad forum gladio submovetur, quod capita consularium virorum patitur appendi, et pretium (22) caedis per quaestorem, ac tabulas publicas numerat? et haec omnia facit ille, qui legem (23) Corneliam tulit. Veniamus ad Regulum: quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiae fecit? figunt cutem (24) clavi, et quocumque fatigatum corpus

---

gna Cannensis accusatorem sat bonum fecit. Multos caesos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus. Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio? Lacus ab Auctore sic dictus, in *principio Vici Jugarii, continens Basilicae Juliae*. Festus. Ergo juxta forum Rom. ad latus partemque Capitolii. Lips. pag. 497. n. 30.

(19) Pannicularia sunt ea, quae in custodiam receptus secum adtulit: spolia quibus indutus est, cum ad supplicium ducitur. L. Divus Hadrianus, D. de bonis damnatorum. Ea milites plerumque inter se dividebant, inde spoliarium locus ubi exui solebant: *Numquid aliquem tam cupidum esse vitae putas, ut jugulari in spoliario, quam in arena malit?* Plinius in Panegyrico, *Nunc templum non spoliarium civium, cruentarumque praedarum saevum receptaculum*. Lampridius in Commodo: *Gladiatoris cadaver trahatur: gladiatoris cadaver in spoliario ponatur*. Mur. n. 31.

(20) Septem millia. De Clem. I. cap. 12. Ibi plura. Lip. n. 32.

(21) Valerius Maximus Exemplorum memorabilium lib. IX. cap. II. de Crudelitate num. I. edit. Lugd. Bat. CIƆIƆXCIII. pag. 356. „ L. Sulla.... quatuor legio- „ nes (vide Lipsium adnot. 3. in „ Senecae lib. I. de Clementia „ cap. XII.) contrariae partis fi- „ dem suam secutas.... nequic- „ quam fallacis dextrae misericor- „ diam implorantes, obtruncari „ jussit: Quarum lamentabiles „ quiritatus trepidae civitatis aures „ receperunt: lacerata ferro cor- „ pora Tiberis, impatiens tanti „ oneris, cruentatis aquis vehere „ coactus est.... Quatuor millia „ et septingentos dirae proscri- „ ptionis edicto jugulatos in tabu- „ las publicas retulit, videlicet „ ne memoria tam praeclarae rei „ dilueretur.„

(22) Duo talenta in singulos, ait Plutarchus: quae sunt nobis *mille ducenti Philippaei*. Lips. n. 37.

(23) De Sicariis postquam creatus Dictator fuit. Idem n. 39. et 40.

(24) De Tranquillit. cap. 15. *Ergo Regulum fleam, quod tot clavis configitur?* Clavis, qui in arca lignea undique fixi, et exstantes: in quam ille conjectus. Seneca epist. 67. *In hac est Reguli arca, Rutilii exsilium*. Jubero apud Agellium lib. 6. *Armarium municipibus praefixum* vocat. Idem n. 41.

reclinavit, vulneri incumbit, et in perpetuam vigiliam suspensa (25) sunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriae. Vis scire, quam non poeniteat hoc pretio estimasse virtutem? Refice tu illum, et mitte in Senatum: eamdem sententiam (26) dicet. Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, et morosae uxoris (27) quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonantium, queritur? Mero se licet sopiat, et aquarum fragoribus avocet, et mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille in (28) cruce. Sed illi solatium est, pro honesto dura tolerare, et ad caussam a patientia respicit: hunc voluptatibus marcidum, et felicitate nimia laborantem, magis his, quae patitur vexat caussa patiendi. Non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data, plures Reguli nasci, quam Maecenates velint. Aut si quis fuerit, qui audeat dicere, Maecenatem se quam Regulum nasci (29) maluisse: idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam maluit. Male tractatum Socratem judicas, quod illam potionem publice mixtam, non aliter, quam medicamentum immortalitatis obduxit, et de morte disputavit usque ad ipsam? male cum illo actum est, quod gelatus est sanguis, ac paulatim frigore inducto venarum vigor constitit? Quanto magis huic invi-

---

(25) Cicero in Pisonem: *Regulum in machina religatum* scribit, *et resectis palpebris vigilando enecatum*. Idem n. 42.

(26) De non permutandis captivis: seque inter illos. Idem n. 44.

(27) Uxoris, quam amabat, nec fortasse solus. Caesarem Augustum ea suspicione aspergit Dio, *quod creditus Gallicanam peregrinationem suscepisse; ut liberius, et procul a vulgo sermonibusque, frueretur Terentia Maecenatis*: lib. 54. Itaque non injuria anxius Maecenas: sed et Caesari, ob hanc caussam occulte infestus, quod idem scriptor libro 55. tangit in Maecenatis obitu. Potest tamen angorem hunc, fateor, etiam alio referre, et ad nudum ipsum amorem qui semper querulus et anxius, praesertim ubi non respondetur. Idem n. 45.

(28) Post enim illa tormenta Regulum in cruce obiisse, etiam Florus scripsit. Idem n. 48.

(29) Uxorem Maecenatis. Ille ita mollis (facete inquit) ut nec virum se, sed Tiresia suffragante, foeminam malit. Idem n. 49.

dendum est, quam illis, quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, suspensam auro nivem diluit? Hi quidquid biberint, vomitu remetientur tristes, et bilem suam regustantes: at ille, venenum laetus, et libens hauriet. Quod ad Catonem pertinet, satis dictum est: summamque illi felicitatem contigisse, consensus hominum fatebitur; quem sibi rerum natura delegit, cum quo metuenda collideret. Inimicitiae potentum graves sunt? opponatur simul Pompejo, Caesari, et Crasso. Grave est a deterioribus honore anteiri? Vatinio postferatur. Grave est civilibus bellis interesse? toto terrarum orbe pro caussa bona tam infeliciter, quam pertinaciter, militet. Grave est sibi manus afferre (30)? faciat. Quid per hoc consequar? ut omnes sciant, non esse haec mala, quibus ego dignum Catonem putavi.

CAPUT IV.

Prospera in plebem, ac vilia ingenia deveniunt: at calamitates, terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. Semper vero esse felicem, et sine morsu animi transire vitam, ignorare est rerum naturae alteram (1) partem. Magnus es vir: sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis? Descendisti ad Olympia: sed nemo praeter te; coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tamquam viro forti, sed tamquam consulatum, praeturamve adepto: honore auctus es. Idem dicere, et bono viro possum, si illi nullam occasionem difficilior casus dedit, in qua una vim sui animi ostenderet. Miserum te judico, quod nunquam fuisti miser: transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid potueris: ne tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam sui, experimento; quid quisque posset, nisi tentando non didicit. Itaque quidam ultro se cessan-

(30) Vide Commentar. §. xv. et xvi.

(1) Constat enim diversis rerum natura, laetis, tristibus, commodis, incommodis: nescit altera, qui semper in alteris. Lips. pag. 499. n. 1.

tibus malis obtulerunt, et virtuti iturae in obscurum occasionem, per quam enitesceret, quaesierunt. Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis, non aliter, quam fortes milites bellis. Ego mirmillonem (2) sub C. Caesare de raritate munerum audivi querentem. *Quam bella*, inquit, *aetas perit*! Avida est periculi virtus, et quo tendat, non quid passura sit, cogitat; quoniam, et quod passura est, gloriae pars est. Militares viri gloriantur vulneribus, laeti fluentem meliori casu sanguinem ostentant. Idem licet fecerint, qui integri revertuntur ex acie, magis spectatur, qui saucius redit. Ipsis, inquam, Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam praebet aliquid animose, fortiterque faciendi: ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Unde possum scire quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? unde possum scire, quantum adversus ignominiam, et infamiam, odiumque populare, constantiae habeas, si inter plausus senescis? si te inexpugnabilis, et inclinatione quadam mentium pronus favor sequitur? unde scio, quam aequo animo laturus sis orbitatem, si quoscumque sustulisti, vides? Audivi te cum alios consolareris: tunc conspexissem, si te ipse consolatus esses, si te ipse dolore vetuisses. Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quae dii immortales velut stimulos admovent animis. Calamitas, virtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt; quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Quicquid illis inciderit, novum veniet: magis urgent saeva inexpertos: grave est tenerae cervici jugum. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit: audaciter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se saepe vicisse post sanguinem. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet:

---

(2) Erat Gladiatoris genus armaturae Gallicae, qui modo cum Retiario modo cum Threce in arenam inducebatur. Robertus Stephanus in Thesauro linguae Latina verb. *Mirmillo*.

eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Quare Deus optimum quemque, aut mala valetudine, aut aliis incommodis afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut praesidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt dicit, *Male de me imperator meruit*: *sed bene judicavit*. Idem dicant quicumque jubentur pati timidis, ignavisque flebilia: *Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati*. Fugite delicias, fugite enervatam felicitatem, qua animi (3) permadescunt, nisi aliquid intervenit, quod humanae sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti. Quem specularia (4) semper ab adflatu vindicarunt, cujus pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cujus coenationes subditus, et parietibus (5) circumfusus calor temperavit, hunc levis aura non sine periculo stringet. Cum omnia, quae excesserunt modum, noceant; periculosissima felicitatis intemperantia est. Movet cerebrum, in vanas mentem imagines evocat, multum inter falsum, ac verum mediae caliginis fundit. Quidni satius sit, perpetuam infelicitatem, quae advocat ad virtutem sustinere, quam infinitis, atque immodicis bonis rumpi? Levior jejuno mors est: cruditate dissiliunt. Hanc itaque rationem dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.

---

(3) Mollescunt, sicut dura humore solvuntur, aut remittunt. Pari metaphora Plaut. Mostellaria de Amore: *is usque in pectus permanavit, permadefecit cor meum*. Lips. n. 18.

(4) De his dico epist. 90. Sunt lapides pellucentes, ut vitrum: ejusque vicem olim in fenestris. Lips. pag. 500. n. 20.

(5) Seneca epist. 90. inter ea quae sua memoria prodierunt, habet, *tubos parietibus impressos, per quos circumfunderetur calor, qui summa et ima foveret aequaliter*. Apparent et nunc in Thermarum ruinis. Ab his *Tubis*, nescio an *Stubarum* nomen, quod medii aevi Scriptores, et hodiernus usus, habent, quamquam et a nostrate *Fov ndi* verbo dictae esse possint. Idem n. 22.

Numquid tu invisos esse Lacedaemoniis liberos (6) suos credis, quorum experiuntur indolem, publice verberibus admotis? ipsi illos Patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, et laceros, ac semianimes rogant, perseverent vulnera praebere vulneribus. Quid mirum si dure generosos spiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos, et lacerat fortuna? patiamur: non est saevitia: certamen est, quo saepius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens usus agitavit. Praebendi fortunae sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur. Paulatim nos sibi pares faciat: contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt Nauticis corpora ferendo mari dura: Agricolis, manus tritae: ad excutienda tela, militares lacerti valent: agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientia pervenit: Quae quid in nobis efficere possit, scies, si adspexeris, quantum nationibus nudis, et inopia fortioribus, labor praestet. Omnes considera gentes, in quibus Romana pax (7) desinit. Germanos dico, et quidquid circa (8) Istrum vagarum (9) gentium occursat. Perpetua illos hiems, triste (10) caelum premit, maligne

---

(6) Cicero Tusculanarum Quaestionum lib. III. cap. XIV. tom. II. pag. 370. ,, Spartae . . . pueri ad ,, Aram (Dianae Orthiae) sic ,, verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat: ,, nonnunquam etiam (ut cum ibi ,, essem audiebam) ad necem, ,, quorum non modo nemo exclamavit umquam, sed ne ingemuit quidem. ,, Tertullianus *in Apologetico cap. 50. edit. Lutetiae MDCXLI. pag. 45.* ,, Certe ,, Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum ,, tantum honorem tolerantiae domui conferunt quantum sanguinis fuderint. ,, Confer eumdem *in lib. ad Martyres cap. 4. pag. 158.* et alios citatos a Gotofredo, Lipsio et Dalechampio n. 28. 29. et 30.

(7) Id est, quae extra ditionem finesque Romanos sunt: et quod sequitur extra pacem. De Clem. c. I. *Tot millia gladiatorum, quae pax mea comprimit:* in Principis persona. Lips. n. 35.

(8) Inferiorem Danubii partem, nam ea plurimum Istri nomine venit. Idem n. 36.

(9) Certis sedibus aut domiciliis non colentium ut sunt Scythae, Sarmatae, Hamaxobij, et id genus. Idem n. 37.

(10) De Germanis haec non ita vera, magis de Scythis. Et si de illis quoque Tacitus: *Germaniam*

solum sterile sustentat, imbrem (11) culmo, aut fronde (12) defendunt, super durata glacie stagna persultant, in alimentum feras captant. Miseri tibi videntur? Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit: Paulatim enim voluptati sunt, quae necessitate coeperunt. Nulla illis (13) domicilia, nullae sedes sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit; vilis, et hic quaerendus manu victus; horrenda iniquitas caeli, intecta (14) corpora: hoc, quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est; Quid miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit. Fragiles sunt, quae in aprica valle creverunt. Pro ipsis ergo bonis viris est, ut esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, et aequo animo ferre, quae non sunt mala, nisi male sustinenti.

CAPUT V.

Adjice nunc, quod pro omnibus est, optimum quemque ut ita dicam, militare, et edere operas. Hoc est

---

informem terris, asperam Caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. Iterumque: *In universum aut silvis horrida, aut paludibus foeda, frugiferarum arborum impatiens, pecorum foecunda, eaeque solae et gratissimae opes*. O quam nunc aliter! et Germania oppidis, populis, ingeniis, artibus, opibus cum quavis terra contendit. Idem n 38.

(11) Significat aedium tecta, non imbrice aut tegulario lapide, sed straminum culmis, rudiore ritu (unde et *culmina*) sive arborum fronde constrata Tacitus in Germania: *Ne caementorum quidem, aut tegularum usus*. Idem n. 39.

(12) Nec id vere de Germanis, qui oppida quidem non habebant, et nil praeter informes vicos, sed tamen domos; Senecae quidem et Taciti aevo. Nam vetustiores, nec ii satis certas sedes habebant, cum in annos eas unaque agros, jussu magistratuum mutarent. Caesar li. 4. de Svevis, et universe de Germanis in 6. dem n. 41.

(13) Ad Sarmatas et Hamaxobios haec refer, qui *in plaustro equoque vivunt*, ut ait Tacitus: et hoc signo colligit Peucinos Fennosque Germanis potius adscribendos, quia domos figunt. Idem n. 42.

14 Caesar de Germanis, *pellibus tegi: quarum propter exiguitatem, magna pars est corporis aperta*. Et Tacitus: *Tegumen omnibus sagum fibula, aut si desit, spina* (malim pinna) *consertum, caetera intecti agunt*. Idem n. 43.

propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere haec, quae vulgus appetit, quae reformidat, nec bona (1) esse, nec mala: apparebunt autem bona esse, si illa nonnisi bonis viris tribuerit, et mala esse, si malis tantum irrogaverit. Detestabilis erit caecitas, si nemo oculos perdiderit, nisi cui eruendi sunt. Itaque careant luce Appius, (2) et Metellus (3). Non sunt divitiae bonum. Itaque habeat illas, et Ellius (4) leno: ut homines pecuniam cum in (5) templis consecraverint, videant et in fornice. Nullo modo magis potest Deus concupita traducere, quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit. At iniquum est, bonum virum debilitari, aut constringi, aut alligari, malos integris corporibus solutos, ac delicatos incedere. Quid porro? non est iniquum, fortes viros arma sumere, et in castris pernoctare, et pro Vallo obligatis stare vulneribus: interim in urbe securos esse praecisos, et professos impudicitiam? Quid porro? non est iniquum nobilissimas (6) virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui? Labor optimos citat. Senatus per totum diem saepe consulitur: cum illo tempore vilissimus quisque, aut in cam-

(1) Confer S. Augustini testimonia allata in adnotationibus 1. et 23. ad Commentarii §. XXIV.

(2) Caecitas detestabilis esset, si nulli alii oculos perderent quam ii quibus ob maleficia eruendi sunt, sed cum plures alii facti sint caeci vel casu, vel morbo, imo etiam nati, in illis non erit caecitas detestabilis. Itaque sine infamia et detestatione oculis careat Appius Claudius qui casu caecus, ex quo Caecus cognominatus: nihilominus P. Romanum infamem cum Pyrrho pacem inire prohibuit, de quo Val. Max. lib. 13. cap. 8. Livius lib. 13. Item careat luce Metellus oculis amissis cum Palladium raperet ex aede Vestae incensa. Plin. Natur. Hist. cap. 47. lib. 7 Val. Max. cap. 4. lib. 1. Jugeus pag. 502. n. 3.

(3 L. Metellus Pontifex, bis Consul, Dictator, Thriumphalis, de quo de Brevitate vitae cap. 13. Oculos igne amisit, cum Palladium raperet ardente Templo Vestae. Vide Plinium inter alios, diffuse super hoc viro lib. 7. cap. 43. Lips. n. 4.

(4 Aliis est, *Celius:* at meo libro *Diris*. Idem n. 5.

(5) Oblatis donariis auri, et argenti. Vide Lipsium n. 6.

(6) Vestales, de quibus agit Philippus Trenta I. C. deinde Episcopus Fulginei in *Limone*, seu *Urbanarum Quaestionum lib. II. dissertat. IV. de Vesta et Vestalibus Romae* MDCCLXXXII. *pag.* 91. *seqq.*

po (7) otium suum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat. Idem in hac magna Republica fit: boni viri laborant, impendunt, impenduntur, et volentes quidem: non trahuntur a fortuna, sequuntur illam, et aequant gradus: si scissent, antecessissent. Hanc quoque animosam Demetrii fortissimi viri vocem audisse me memini: *hoc unum*, inquit, *dii immortales de vobis queri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quae nunc vocatus, adsum*. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis? sumite. Non magnam rem promitto: cito totum relinquam. Vultis spiritum? quid ni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dedistis: a volente feretis, quidquid petieritis. Quid ergo est? maluissem offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuistis. Sed ne nunc quidem auferetis: quia nihil eripitur, nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior invitus: nec servio Deo, sed assentio: eo quidem magis, quod scio omnia certa, et in aeternum dicta lege decurrere. Fata (8) nos ducunt, et quantum cuique restet prima nascentium hora (9) disposuit. Caussa pendet ex caussa, privata, ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum est, quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt. Olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas: et quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit: accepimus peritura, perituri: Quid ita indignamur? quid querimur? ad hoc parati sumus. Utatur, ut vult, suis natura corporibus: nos laeti ad omnia, et fortes cogitemus, nihil perire de nostro. Quid est boni viri? praebere se fato. Grande solatium est, cum universo rapi. Quidquid est, quod nos sic vivere jussit, sic mori: eadem necessitate, et deos alligat: irrevocabilis humana pariter, ac divina cursus vehit.

---

(7) Martio. Lips. n. 11.

(8) Vide Commentar. §. III.

(9) Interpretatur illud Manilianum. „ Nascentes morimur finisque ab origine pendet. Lip. pag. 503. n. 19. Vide Commentar. §. XX.

Ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur: semper (10) paret, semel jussit. Quare tamen Deus, tam iniquus in distributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, et acerba funera adscriberet? non potest artifex mutare (11) materiem: haec passa est. Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt. Languida ingenia, et in somnum itura, aut in vigiliam somno simillimam, inertibus nectuntur elementis; ut efficiatur vir, cum cura dicendus, fortiore fato opus est. Non erit illi planum iter: sursum oportet, ac deorsum eat, fluctuetur, ac navigium in turbido regat: contra fortunam, illi tenendus est cursus. Multa accident dura, aspera, sed quae molliat, et complanet ipse. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Vide quam alte ascendere debeat virtus: scies illi non per secura vadendum esse.

Ardua (12) prima via est, et qua vix mane recentes
Enituntur equi: medio est altissima Caelo:
Unde mare, et terras ipsi mihi saepe videre
Fit timor, et pavida trepidat formidine pectus.
Ultima prona via est, et eget moderamine certo.
Tunc etiam, quae me subjectis excipit undis,
Ne ferar in praeceps Thetis solet ipsa vereri.

Haec cum audisset ille generosus adolescens: placet, inquit, via, ascendo: est tanti per ista ire casuro. Non desinit acrem animum metu territare.

Utque (13) viam teneas, nulloque terrore traharis,
Per tamen adversi gradieris cornua Tauri,

---

(10) Vide Commentar. §. eod.

(11) Stulta et haec opinio de origine malorum, Materiam continuisse in se malorum omnium semina: eam autem a Deo non potuisse mutari. Tangit hanc Arnobius libro primo adversus gentes, his verbis: *Quid enim si prima materies, quae in rerum quattuor elementa digesta est, miseriarum omnium causas suis continet rotationibus involutas?* Non cogitabant videlicet, ut caetera omnia, sic materiam ipsam a Deo conditam esse. *Vidit autem Deus omnia quae fecerat: et erant valde bona*. Itaque malorum origo aliunde repetenda, et aliter explicanda est. Muret. pag. 503. n. 22. Vide Commentar. §. XIII.

(12) Ovidius *Metamorphoseon lib. II. Tom. II. Oper. edit. Lugduni MDCLXXXIX. pag. 47. seq.* ubi *enitantur*.

(13) Ibid pag. 48.

Aemoniosque arcus, violentique ora Leonis.
Post haec ait: *Junge* (14) *datos currus*: his quibus deterreri, me putas, incitor: libet illic stare, ubi ipse sol trepidat: humilis, et inertis est, tuta sectari: per alta virtus it.

CAPUT VI.

Quare tamen bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri? ille vero non patitur. Omnia (1) mala ab illis removit, scelera, et flagitia, et cogitationes improbas, et avida consilia, et libidinem caecam, et alieno imminentem avaritiam: ipsos tuetur, ac vindicat. Nunc quid hoc quoque a Deo aliquis exigit, ut bonorum virorum etiam sarcinas servet? remittunt ipsi hanc Deo curam, externa contemnunt. Democritus divitias (2) projecit, onus illas bonae mentis existimans: quid ergo miraris, si id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult sibi accidere? Filios amittunt viri boni: quidni cum aliquando, et ipsi (3) occidant? In exilium mittuntur: quidni cum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquant? Occiduntur: quidni, cum aliquando ipsi sibi (4) manus afferant? Quare quaedam dura patiuntur? ut etiam alios pati doceant; nati sunt in exemplar. Puta itaque Deum dicere, quid habetis, quod de me queri possitis, vos quibus recta placuerunt? aliis bona falsa circumdedi, et animos inanes, velut longo, fallacique somnio lusi; auro illos, argento, et ebore ornavi: intus boni nihil est. Isti,

---

(14) Haec omnia pessimo sane exemplo omiserat Muretus, qua caussa? quia aliter nempe in Ovidio, nec jus scilicet nostro mutare leviter et suae rei aptare. In quo etiam ingenii laus est, adeo non culpa. In poeta erat, *Finge datos currus*: et a Sole pronunciabatur; noster mutat, sive data opera (quod puto), sive oblivione, et Phaetonti adscribit. Age pater, inquit, currus quos das, et cedis, junge: Jubet statim conscendere. Lips. n. 31.

(1) Vide Commentar. §. XIX.

(2) Fratribus reliquit, cum pars ejus esset *centum talentorum*, sive 60. millium Philippicorum. Lips. pag. 504. n. 4.

(3) Patrum, qui in filios sontes capitis sententiam tulerunt, exempla affert Valerius Maximus lib. V. cap. VIII.

(4) Hoc minime licere ostendimus Commentarii §. XV.

quos pro felicibus aspicitis si non qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida, et sincera felicitas: crusta est, et quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, et ad arbitrium suum ostendi, nitent, et imponunt: cum aliquid incidit, quod disturbet, ac detegat, tunc apparet, quantum altae, ac verae foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quanto magis versaveritis, et undique inspexeritis meliora majoraque. Permisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire; non fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo sui laetus. Intus omne posui bonum: non egere felicitate, felicitas vestra est. At multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu. Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros adversus omnia armavi. Ferte fortiter: hoc est, quo Deum (5) antecedatis: ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem, nemo tam pauper (6) vivit, quam natus est. Contemnite dolorem, aut solvetur, aut solvet. Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum, dedi. Contemnite mortem, quae vos aut (7) finit, aut transfert. Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos: patet exitus. Si pugnare non vultis, licet (8) fugere. Ideoque ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius, quam

(5) Haec vero intoleranda Stoicorum arrogantia est. Parum putarunt, sapientem suum cum Deo conferre: etiam anteposuerunt. Haec monstra opinionum perterrefacere nos debent, ne umquam ingenio nostro confisi, quidquam de rebus divinis temere aut statuere aut pronuntiare audeamus. Muret. n. 10. Confer Justum Lipsium n. 12. et Commentarium nostrum §. XII.

(6) Hunc . . locum imitatus est Minutius Felix in Octavio. Dicam, inquit, quemadmodum sentio. Nemo tam pauper est quam natus est. Gotofredus n. 13. Illud autem cuique serio cogitandum quod adnot. 9. ad §. IX. a Jobo dictum retulimus: „ Nudus „ egressus sum de utero Matris „ meae, nudus revertar illuc. „

(7) Vide Commentarium nostrum §. XIV.

(8) Minime vero ea, quae a Seneca proponitur ratione, mortem scilicet sibi inferendo, ut demonstravi in Commentario §§. XV. et XVI.

mori; prono animam loco posui: trahitur. Attendite modo, et videbitis, quam brevis ad libertatem, et quam expedita ducat via. Non tam longas in exitu vobis, quam intrantibus moras posui: alioquin magnum in vos regnum fortuna tenuisset, si homo tam tarde moreretur, quam nascitur. Omne tempus, omnis vos locus doceat, quam facile sit renunciare naturae, et munus suum illi impingere. Inter ipsa altaria, et solemnes sacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiscite. Corpora opima taurorum exiguo concidunt vulnere, et magnarum virium animalia humanae manus ictus impellit; tenui ferro commissura cervicis abrumpitur, et cum articulus ille, qui caput, collumque committit incisus est, tanta illa moles corruit. Non in alto latet spiritus, nec utique ferro eruendus est. Non sunt vulnere impresso penitus scrutanda praecordia; in proximo mors est. Non certum ad hos ictus destinavi locum; quacumque pervium est. Ipsum illud quod vocatur mori, quo anima discedit a corpore, brevius est, quam ut sentiri tanta velocitas possit. Sive fauces nodus elisit; sive spiramentum aqua praeclusit; sive in caput lapsos subjacentis soli duritia comminuit; sive haustus (9) ignis cursum animae remeantis interscidit: quidquid est, properat. Ecquid erubescitis? quod tam cito fit, timetis (10) diu?

---

(9) Quod Porcia Bruti uxor fecit. Lips. pag. 505. n. 28.

(10) Superest dicenda ultima pars, de *miseratione:* nec ea virum bonum dignum esse. Ita enim diviserat, supra cap 8. Ergo desunt aliqua: neque tamen censeo huc assuendum aut subnectendum libellum *De constantia Sapientis:* quod quidam volunt, moniti a libris scriptis, qui sic ordinant. Profecto diversum argumentum est: et id quod hic deest, si suppleri placet fiat e libro de Tranquillitate cap. 15 ubi paria tractat. Quod ad scriptos, saepe talia confundunt. Lipsius n. 29.

INDEX

LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE.

Numerus primus paginam, secundus adnotationem designat.

et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eum. 5. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. 73. 36.

Ex 1. *Paralipomenon.*

Cap. X. 13. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod praevaricatus sit mandatum Domini, quod praeceperat, et non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit. 14. Nec speraverit in Domino: propter quod interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai. *ibid.*

Ex Job.

Cap. I. 9. Cui respondens Satan ait: Numquid Job frustra timet Deum? 10. Nonne tu vallasti eum, ac Domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra? 11. Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta, quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. 12. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa, quae habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. 27. 8.

20. Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua, tonso capite corruens in terram adoravit, 21. Et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. 27. *seg.* 9.

II. 3. Dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. 4. Cui respondens Satan ait: Pellem pro pelle, et cuncta, quae habet homo dabit pro anima sua: 5. Alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus, et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. 6. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. 7. Egressus

res, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias. 13. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas: 14. Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis. 16 Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me: 17. Donec intrem in sanctuarium Dei: et intelligam in novissimis eorum. 18. Verumtamen propter dolos posuisti eis: dejecisti eos, dum allevarentur. 19. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam. 20. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. 82. 7.

LXXXI. 4. Eripite pauperem: et egenum de manu peccatoris liberate. 91. 6.

LXXXIII. 8. Ibunt de virtute in virtutem. 37. 14.

XCI. 6. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundae factae sunt cogitationes tuae. 7. Vir insipiens non cognoscet: et stultus non intelliget haec. 8. Cum exorti fuerint peccatores, sicut foenum: et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem: ut intereant in saeculum saeculi. 9. Tu autem Altissimus in aeternum, Domine. 10. Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem. 82. 7.

XCIII. 23. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster. 82. seq. 7.

CXVIII. 71. Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. 23. 1.

158. Vidi praevaricantes, et tabescebam. 10. 7.

CXLII. 2. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis homo. 70.

CXLIII. 4. Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra praetereunt. 96.

Ex Proverbiis.

Cap. III. 11. Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias, cum ab eo corriperis. 12. Quem enim diligit dominus corripit: et quasi pater in filio complacet sibi. 53.

VIII. 15. *secundum* LXX. Per me reges regnant, et

dynastae scribunt justitiam. 16. Per me magnates magnificantur, et tyranni per me tenent terram. 94. 15.

17. Ego diligentes me diligo. 51. 5.

XI. 29. Qui stultus est, serviet sapienti. 75.

XX. 9. *secundum* LXX. Quis enim gloriabitur se purum habere cor, aut quis confidenter dicet, se purum esse a peccato? 90. 5.

Ex Ecclesiaste.

Cap. I. 7. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant. 109. 11.

VII. 21. Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. 69.

Ex Sapientia.

Cap. I. 13. Deus mortem non fecit. 87. 19.

VI. 8. Pusillum, et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. 66. 7.

Ex Ecclesiastico.

Cap. II. 5. In igne probatur aurum, et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. 29. 12.

IV. 9. Libera eum, qui injuriam patitur. 91. 6.

XVIII. 22. Ne verearis usque ad mortem justificari. 57. 14.

Ex Isaia.

Cap. XLV. 6. Ego Dominus, et non est alter, 7. Formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum. 87. 19.

Ex Jeremia.

Cap. II. 35. Et dixisti: Absque peccato, et innocens ego sum: et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi. 70.

XXXI. 3. Charitate perpetua dilexi te. 51. 5.

Ex Threnis.

Cap. III. 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea. 74. 40.

Ex Ezechiele.

Cap. XVIII. 23. Numquid voluntatis meae est mors impii dicit dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? 100. 28.

24. Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod pec-

cavit, in ipsis morietur. 25. Et dixistis: Non est aequa via Domini. Audite ergo domus Israel: Numquid via mea non est aequa, et non magis viae vestrae pravae sunt? 26. Cum enim averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia, quam operatus est, morietur. . 72. 39.

XXIX. 18. Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est; et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eum. 19. Propterea haec dicit Dominus Deus: Ecce ego dedi Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti: et accipiet multitudinem ejus, et depraedabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus: et erit merces exercitui illius, 20. Et operi, quo servivit adversus eam dedi ei terram Aegypti, pro eo quod laboraverit mihi ait Dominus Deus. 92. 10.

XXXIII. 12. Justitia justi non liberabit eum quacumque die peccaverit: et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: et justus non poterit vivere in justitia sua in quacumque die peccaverit. 13. Etiam si dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. 72. 35.

Ex Daniele.

Cap. IX. 5. Peccavimus, iniquitatem fecimus. 70. 20. *secundum* LXX. Cum orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Deo nostro. 71.

Ex Amos.

Cap. III. 6. Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit. 87. 19.

Ex Habacuc.

Cap. II. 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet. 83. 8.

Ex Sophonia.

Cap. II. 3. Quaerite Dominum omnes mansueti terrae, qui judicium ejus estis operati: quaerite justum quaerite mansuetum. 32. 5.

Ex Malachia.

Cap. III. 14. Dixistis : Vanus est, qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus praecepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? 15. Ergo nunc beatos diximus arrogantes : siquidem aedificati sunt facientes impietatem: et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. 16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo : et attendit Dominus, et audivit : et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus. 17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die quo ego facio, in peculium : et parcam eis, sicut parcit vir filio tuo servienti sibi. 18. Et convertemini, et videbitis quid sit inter justum, et impium : et inter servientem Deo, et non servientem ei. 83. 8.

Ex II. *Machabaeorum.*

Cap. VII. 28. Peto, nate, ut aspicias ad coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus. 36. 3.

Ex Matthaeo.

Cap. V. 26. Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. 100. 30.

44. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos: 45. Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est: qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos. 91

48. Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est. 53. et 61.

VI. 2. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 92. 11.

9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in coelis. 53.

12. Et dimitte nobis debita nostra. 70.

XVIII. 17. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. 4. 11.

XXIV. 9. Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10. 7.

12. Et quoniam abundavit iniquitas refrigescet charitas multorum. 13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. 72. 35. et 21.

47. Super omnia bona sua constituet eum. 75.

XXVI. 35. Si oportuerit me

mori tecum, non te negabo. 74. 39.

XXVII. 3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, et senioribus, 4. dicens; Peccavi tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. 5. Et projectis argenteis in templo, recessit: et abiens laqueo se suspendit. 73. 37.

Ex Luca.

Cap. XVIII. 1. Oportet semper orare, et non deficere. 89.

Ex Joanne.

Cap. XIV. 21. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. 31. 3.

XV. 6. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. 72. 35.

15. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. 23. 3.

XVI. 31. 2. Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. 10. 7.

XVII. 12. Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur. 73. 37.

XIX. 11. Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 71. 34.

Ex Actis Apostolorum.

Cap. I. 16. Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum: 17. Qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. 18. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera ejus. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: et episcopatum ejus accipiat alter. 73. 37.

XIV. 7. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suae, qui numquam ambulaverat. 8. Hic au-

divit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns, quia fidem haberet, ut salvus fieret, 9. Dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. 10. Turbae autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. 11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. 12. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem tauros, et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. 13. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas, et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes, 14. Et dicentes: Viri quid haec facitis? et nos mortales sumus similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt. 25. 14. 4.

XVII. 24. Deus, qui fecit mundum, et omnia, quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, 25. Nec manibus hominum colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia: 26. Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens futura tempora, et terminos habitationis eorum, 27. Quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. 28. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam vestrorum Poetarum dixerunt. Ipsius enim et genus sumus. 55. *seq.* 19.

Ex Epist. ad Rom.

Cap. II. 4. An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit: 5. secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei, 6. Qui reddet unicuique secundum opera ejus. 90. 4.

V. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. 51. 5.

VI. 23. Gratia autem Dei

vita aeterna. 52.

VII. 24. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? 10. 7.

VIII. 17. Si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. 74. 40.

28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. 73.

38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, 39. Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei. 51. 5.

XII. 19. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum irae: scriptum est enim: mihi vindicta; ego retribuam dicit Dominus. 100. 29.

Ex Epist. I. ad. Corinth.

Cap. I. 9. Fidelis Deus: per quem vocati estis in societatem filii ejus. 52.

II. 6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. 24. 3.

IX. 25. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. 26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, 27. Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. 112. 3.

XIII. 4. Charitas patiens est, benigna est; charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, 5. Non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, 6. Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: 7. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. 52. 5.

XV. 19. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 28. 11.

Ex Epist. II. ad Corinth.

Cap. IV. 16. Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. 57. 14.

XI. 29. Quis scandalizatur, et ego non uror? 10. 7.

XII. 2. Scio hominem in

Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. 3 Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit:) 4. Quoniam raptus est in Paradisum: et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. 23. 2.

7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me colaphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. *ibid.*

Ex Epist. ad Galat.

Cap. V. 17. Caro enim concupiscit adversus spiritum. 10. 1.

Ex Epist. ad Ephes.

Cap. V. 1. Estote ergo imitatores Dei sicut filii charissimi. 53.

Ex Epist. ad Philip.

Cap. III. 12. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam. 57.

15. Quicumque ergo perfecti sumus hoc sentiamus. 58.

Ex Epist. 1. ad Timoth.

Cap. IV. 8. Pietas autem ad omnia utilis est. 10. 7.

VI. 17. Divitibus hujus saeculi praecipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum) 18. Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, 19. Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 96. seq. 14.

Ex Epist. II. ad Timoth.

Cap. II. 5. Qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit. 112. 3.

III. 5. Habentes quidem speciem pietatis. 10. 7.

12. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 10. 7.

Ex Epist. ad Tit.

Cap. II. 12. Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo. 10. 7.

Ex Epist. Jacobi.

Cap. III. 2. In multis enim offendimus omnes. 70.

Ex Epist. I. Petri.

Cap. I. 3. Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, 4. In haere-

INDEX NOMINUM
ET RERUM MEMORABILIUM.

Numerus primus paginam, secundus, vel litera n. adnotationem indicat.

E

L

Q

R

ERRATA	CORRIGE
Pag. 10. not. lin. 1. ver. 10.	ver. 12.
20 n. 6. lin. 2. Istitutionum	Institutionum
63. n. 11. col. 2. lin. 5. parricida	parricidae
105. lin 6. superes	superest
108. n 10 col. 1. lin. 23. exalceatus	excalceatus
110. lin. 11. litora	littora